This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HD WIDENER
HW RGI5 T
H
39
4
Digitized by Google

AH4189.04

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

~~10222.~~ Cor
AH 4189.04
Cover

DE MANUMISSIONIBUS DELPHICIS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ALMAE UNIVERSITATIS REGIAE MONASTERIENSIS

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

IULIUS FRANCKE
MONASTERIENSIS.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.
MDCCCCIV.

Digitized by Google

AH4189.04

Harvard College Library
Sept. 29,1904.
Exchange,
Univ. of Munster.

DEKAN:

Prof. Dr. Sonnenburg.

REFERENT:

GR. Prof. Dr. Stahl.

Digitized by Google

Quae Aristoteles dicit: *οἰκία τέλειος ἐκ δούλων καὶ ἐλευθέρων*[1] pauca verba sunt, sed satis aperte docent quam Graeci in servitute nihil habuerint quo offenderentur. Multi autem apud veteres scriptores inveniuntur loci ex quibus Graecos suo iure barbaris, qui se multo inferiores essent, servis sibi utendum esse putavisse cognoscamus[2]. Haec opinio, quam ne summi quidem philosophi totam depulerunt, vere Graeca dicitur; manabat enim non minus ex communi omnium gentis suae admiratione quam ex singulari fere vi ac momento quod rei publicae ad homines vere liberos reddendos tribuebant; qui cives non essent libertate indigni fere iis videbantur.

Sed cum servos ut homines deterioris cuiusdam generis despicerent, tamen humanius clementiusque eos quam crudelius habebant. Id cum ex aliis rebus tum ex eo apparet quod haud raro accidebat ut servi in libertatem assererentur.

Servos manumittendi viae erant multae ac variae. Nonnunquam ipsa res publica servis qui in angustiis rerum ac temporum virtute bellica aut alia re de communi salute optime meriti erant libertatem dabat[3]. Sed si hoc, quod raro accidebat mittimus, servus nisi in benevolentia clementiaque domini spem libertatis ponere non poterat.

Domino qui servum libertate donare volebat nihil aliud facere opus erat quam declarare se eum manu mittere. Sed

---

[1] Pol. I 2, 1.

[2] Eurip. Iph. Aul. 1400, Demosth. III 24, Aristot. Pol. I 1, 5 et I 2, 18, Plat. de Rep. V 469 C.

[3] Cf. schol. ad Aristoph. Ran. 191, Paus. I 32, 3, Xen. Hell. I 6, 24, CIA (= Corpus inscriptionum Atticarum) I 19 et 20, II 546.

Digitized by Google

haec declaratio, quamquam ad servum liberum reddendum sufficiebat, tamen plerumque variis modis ac rebus exornabatur quantum ego quidem video duas ob causas. Quarum quae multo est levior magis ad dominorum ambitionem et ostentationem spectat. Neque enim difficile est intellectu fuisse homines qui ea quoque de causa servos manumitterent ut gloriam hominis clementissimi vel ditissimi inter cives ferrent. Talium hominum maxime interfuisse non miramur quam plurimos quanta uterentur clementia quantisque opibus comperire et, si fiere posset, vel ipsos manumissioni interesse. Itaque saepe accidebat ut in contione populi [1], in pleno theatro [2], inter sollemnia et caeremonias [3] per praeconem aliquis pronuntiaret quem servum liberum esse vellet. Sed haec neque una nec gravissima causa est ob quam sola declaratione domini raro contenti videntur fuisse. Alteram in eo invenisse mihi videor quod dominorum interesset servos quos in libertatem vindicaturi essent etiam in posterum ab iniuriis insidiisque quam maxime defendere. Neque supervacanea haec eorum opera erat; nam, nisi eam dedissent, timendum erat ne manumissi postea per iniuriam libertate privati in servitutem redigerentur. Quod periculum ut ab iis averterent, domini, si manumissio verbis fiebat, testes adhibebant quam plurimos. Nam quot testes manumissionis erant tot erant qui libertatem manumissi in posterum tueri poterant.

Si autem manumissio litteris consignabatur, multae erant rationes quibus liberti ab insidiis posteris defendi posse viderentur. Saepissime condiciones libertatis datae lapidibus inscriptae in templis ponebantur, ut ita diis ipsis tuendae traderentur [4]. Multis quoque in regionibus condiciones libertatis, postquam magistratibus praesentibus statutae sunt, singulis mensibus col-

---

[1] Cf. Isaei fr. 62.

[2] Cf. Aeschin. III 41.

[3] Cf. Suid. s. v. *Κράτης* c.

[4] CS (= Sammlung der griech. Dialect-Inschriften von Collitz) 1346 sqq.

Digitized by Google

ligebantur et in tabulis inscriptae servabantur[1]. Aliis denique locis mos erat ut nomina servorum missorum certa quadam pecunia ab iis in aerario posita in tabulas publicas referrentur.

Omnium autem talium rationum maxime singulari Graecia media et quaedam partes Peloponnesi ut Laconia[2], Messenia[3], Elis[4], Arcadia[5] usae sunt. In his regionibus qui servos libertate donare volebant deo cuidam eos concedebant, sive sacrabant sive vendebant. Ita specie quidem deus in possessionem servi veniebat, re vera autem servus libertatem adipiscebatur. Nam in pactione quam cum deo inibat dominus ipsis verbis statuebat ut servus ea condicione ei traderetur ut statim liber esset, et argentum quod, si venditio fiebat, dominus a sacerdotibus accipiebat nihil nisi pretium libertatis erat quod ipse servus iis antea tradiderat. Hoc modo qui manumissi erant non solum libertatem assequebantur, sed etiam, cum dii ipsi huius libertatis auctores tutoresque esse viderentur, spem habebant se etiam in posterum in deorum tutela ac fide manentes a periculis insidiisque quibus libertas impetrata periclitari posset tutos futuros esse; nam qui servum ita manumissum offendere auderet deos ipsos immortales offendere videbatur.

Notissima nobis haec servos libertate donandi ratio ex titulis manumissionum Delphicis est; in iis enim, qui fere instrumenta monumentaque libertatis acceptae manumissis erant, omnes condiciones quibus libertas iis data erat conscriptae sunt. Has condiciones et ipsam rationem manumissionis accuratius inspicere et explicare operae pretium est. Quod ita instituendum esse putavi ut ordinem rerum qui in ipsis

[1] Cf. CICS (= Corpus inscriptionum Graeciae septentrionalis) III 375, AM (= Athenische Mitteil.) VI p. 304, XVI p. 50, BCH (= Bulletin de correspondence hellenique) XXI p. 160.

[2] Cf. MS (= Recueil d'inscriptions grecques par Michel) 1075—1077.

[3] Cf. MS 1388.

[4] Cf. MS 1389.

[5] Cf. MS 1390.

Digitized by Google

titulis est retinerem. Itaque haec commentatio tribus continetur partibus, quarum prima agitur de iis quae manumissionis condicionibus praescripta sunt, altera de ipsius manumissionis ratione et condicionibus, tertia de iis quae his postscripta sunt.

A. De praescriptis.

I. De invocationibus deorum.

Omnes utcumque sapientes, priusquam aliquid incipiant, deos invocare Plato dicit[1]. Sed tales invocationes, quae non solum in initiis syngrapharum publicarum sed etiam inscriptionum oraculi Dodonaei frequentes sunt[2] et semper fere in titulis Phocicis obviam fiunt[3], in Delphicis non inveniuntur nisi in 1816, 1930, 2084, 2146, 2255, 2319, 2322, 2342[4]. Quibus in titulis cum etiam 2322 et 2342, omnium Delphicorum longe novissimi[5], antiquissimi autem fere non sint[6], haud scio an illum usum posterioribus demum temporibus Delphis viguisse iure colligatur.

II. De temporum rationibus.

Manumissionum tempora variis modis in titulis finiuntur, sed ita ut in omnibus fere Delphicum tempus indicetur.

Initio omnium fere titulorum quis tempore manumissionis Delphis *ἄρχων ἐπώνυμος* fuerit dicitur, quod ad annum de-

---

[1] Tim. 27 C.

[2] Cf. 1563, 1567, 1568a, 1568b, 1569 alii.

[3] Cf. 1513—1556.

[4] Verba quibus in his titulis invocatio fit non ita valde inter se differunt; legimus enim *θεὸς τύχαν ἀγαθάν* in 1930, 2146, 2255, 2319; *ἀγαθᾶ τύχα* in 2322 et 2342; *ἀγαθᾷ τύχᾳ* in 2084; *ἀγαθῇ τύχῃ* in 1816.

[5] Eorum alter, 2322, incidit in a. 126 p. Chr. n., alter in a. 83 aut 87 p. Chr. n.

[6] Tit. 2084, eorum antiquissimus, scriptus est a. 184 a. Chr. n.

Digitized by Google

notandum sufficiebat[1]. Nam unum annum quisque archon munere fungebatur, neque id nisi raro et posterioribus demum temporibus accidisse videtur ut idem identidem archon fieret; tit. 2342 enim, in quo unum huius rei exemplum legitur[2], longe post Christum natum scriptus est. Delphorum quidem hos archontes esse praeter illos titulos in quibus aliarum quoque urbium magistratus appellentur ipsis verbis ostendi non solet[3]. Quod mirum non est; nam nemo dubitare poterat quin archon eius urbis diceretur in qua manumissio facta titulusque scriptus esset. Ubi autem praeter hunc exterorum quoque magistratuum in titulis mentio fit ad illum, ut his opponatur, semper fere eum Delphis archontem esse additur[4]. Patris autem nomen ad archontis modo adscribitur, modo abest[5]. Deinde sollemnis est in archontum commemoratione genetivus absolutus; quater tantum legimus *ἐπὶ δὲ ἄρχοντος τοῦ δεῖνος*, in 2157, 2200, 2220, 2327, qui tituli omnes tamquam supplendi causa servum officiis quae ei in ipsa manumissione, ut liber fieret, imposita essent perfunctum esse testantur[6].

Post archontem Delphicum in quinque titulis (1928, 1982, 2007, 2048, 2098) statim senatores Delphici nominantur, cum in ceteris omnibus post archontem mensis manumissionis

[1] Omittitur archon Delphorum in 1842, 1954, 2146; quod non dubito quin casui vel neglegentia tribuendum sit.

[2] Cf. v. 2 *ἄρχοντος τοῦ δεῖνος τοῦ Νεικάνδρου τὸ δεύτερον*.

[3] Legimus autem *ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς*, quamquam peregrini magistratus non appellantur, in 1691, 1702, 1744, 1749, 1777, 1894, 1906, 1953, 2032, 2071, 2098, 2240, 2243, 2300, 2322, 2324. Et apparet in 1777, 1953, 2032, 2071, 2098, 2300 ita scriptum esse propterea quod hic domini non Delphi, sed aliarum urbium cives sunt.

[4] Sed ne hoc quidem sine exceptione est. Nam cum in ceteris huiusmodi titulis legatur *ἄρχοντος ἐν Δελφοῖς*, non additum est *ἐν Δελφοῖς* in 2091, 2139, 2256, 2297, 2305, 2340. Sed hoc aliquam excusationem habet eo quod hic exterus magistratus — id quod raro fit — archonti Delphico postscriptus est.

[5] Cf. velut *ἄρχοντος Πατρέα* in 1688 et *ἄρχοντος Πατρέα τοῦ Ἀνδρονίκου* in 1689.

[6] Cf. 2157 et 2156, 2200 et 2199, 2220 et 2219.

Digitized by Google

sequatur[1]. Nomina autem mensium Delphicorum quae in titulis occurrunt sunt haec:

Ἀμάλιος, Ἀπελλαῖος, Βοαθόος, Βουκάτιος, Βύσιος, Δαιδαφόριος, Ἐνδυσποιτρόπιος, Ἡραῖος, Ἡρακλεῖος, Θεοξένιος, Ἰλαῖος, Ποιτρόπιος. Hic Poetropius in compluribus titulis *Ποιτρόπιος ὁ πρῶτος* vocatur[2]; id eo fit quod nonnunquam post Poetropium alter eiusdem nominis mensis intercalabatur, qui ubique *Ποιτρόπιος ὁ δεύτερος* dicitur[3]. Tituli in quibus mensis manumissionis desideratur praeter 1842, 1954, 2146, in quibus in iisdem archon Delphicus non nominatur, novem tantum inveni[4].

Duobus tantum locis praeter mensem dies quoque manumissionis significatus est[5].

Praeter archontem *ἐπώνυμον* etiam *βουλευταί* sive senatores Delphici multis manumissionibus praescripti sunt[6]. Pariter enim atque in ceteris urbibus Graecis Delphis quoque senatus

---

[1] Afferuntur nomina mensium genetivo, cui coniunctio *καί* praescripta est in 1816, 1928, 1927, 2157. Nonnusquam simili modo atque Delphorum archontes etiam menses, ne, si aliorum quoque populorum menses significarentur, his confunderentur, Delphorum esse dicti sunt. Sic legimus in 2033 *μηνὸς ὃς δὲ Δελφοὶ ἄγοντι Ἰλαίου* et in 2075 *μηνὸς Βουκατίου Πυθίοις.*

[2] Sic in 1777, 1829, 1862, 1908, 2182, 2184.

[3] Sic in 1751, 1819, 2090, 2161, 2176. Sed etiam annis quibus hi tituli facti sunt mensis qui intercalarium antecedebat saepius simpliciter *Ποιτρόπιος* appellatur velut in tit. 1723, qui eiusdem anni est atque 1751, et in 1753, qui eodem anno quo 1819 scriptus est. Atque etiam Poetropius nonnunquam prior esse dicitur, quamquam mensem intercalarium secutum esse tituli non docent. Sic in titulis qui Damosthene archonte facti sunt sexiens Poetropius obviam fit (2181, 2182, 2184, 2187, 2202, 2222). Quorum in duobus, 2182 et 2184, *Ποιτρόπιος ὁ πρῶτος*, nusquam autem *Ποιτρόπιος ὁ δεύτερος* occurrit.

[4] Sunt autem nn. 1730, 1818, 1937, 2097, 2151, 2152, 2155, 2168, 2212.

[5] Hi sunt 2322 et 2342, omnium longe novissimi.

[6] Eos Delphorum esse senatores in duobus tantum titulis expresse dicitur, quorum unus, qui est novissimus ille 2322, habet *βουλευόντων δὲ τᾶς πόλιος*, alter 2147 *βουλευόντων ἐν Δελφοῖς*. Et hic quidem verba *ἐν Δελφοῖς* idcirco adiecta esse apparet quod, si abessent, ii non Delphorum sed Ambryssiorum, quorum archon proxime praecedit, senatores esse viderentur.

Digitized by Google

erat[1], ex quo plerumque tres, in quibus unus scriba senatus esse solebat[2], ad negotia gerenda in semestrem annum eligebantur[3]. In duos autem hos anni semestres menses ita distribuuntur ut priori adscribantur Ἀπελλαῖος, Βουκάτιος, Βοαθόος, Ἡραῖος, Δαιδαφόριος, Ποιτρόπιος. Posterioris autem sunt Ἀμάλιος, Βύσιος, Θεοξένιος, Ἐνδυσποιτρόπιος, Ἡρακλεῖος, Πλαῖος[4]. Mensem intercalarium autem, Poetropium alterum, prioris esse docent 2090 et 2161[5].

Quamquam nusquam utrum aliquis primum an secundum senator sit dicitur, tamen identidem hoc munus gerere licebat; nam, ut exemplum afferamus, Anaxandridas, filius Aeacidae, et Damosthene et Damone et Atisida archonte senatoris munere functus est[6].

---

[1] Cf. Gilbert, Griech. Staatsaltert. II 37, 3.

[2] Cum hic magistratus in plurimis titulis aut a senatoribus non discernatur aut simpliciter scriba appelletur, eum senatus scribam fuisse ostendunt tituli 2018, 2110, 2111, 2112, 2155, 2266, 2271, 2292, 2302, 2303, 2307, 2308, 2314, 2315, 2316 verbis *γραμματεύοντος δὲ τᾶς βουλᾶς*. Omnes hi tituli sacerdotum collegiorum VII—XII (140—90 a. Chr. n.) sunt.

[3] Negat Gilbertus (Griech. Staatsaltert. II 38, 1) scribam quoque eodem modo quo ceteros senatores per semestrem annum munere functum esse et in eius rei testimonium affert Curt. Anecd. Delph. 58, 47, 62 (= C. S. 2583, 2594, 2598), ex quibus scribarum magistratum breviore spatio finitum esse appareat. In his enim titulis, qui eiusdem semestris sunt, trini senatores nominantur ita ut Agathon et Criton in unoquoque occurrant, tertius autem diversus sit. Quod igitur senatores per sex menses munus gessisse constaret, hic autem ii qui tertio loco nominarentur diversi essent, hos scribas fuisse ille suspicatus est et eos saepius quam semestri quoque tempore mutatos esse affirmat. Sed aliter sentio. Incidunt enim hi tituli in tertium a. Chr. n. saeculum et tum quinque senatores in sex menses creatos esse docent tituli 2584, 2585, 2606, 2607, 2599, 2771, 2774. Itaque tum etiam in eiusdem semestris titulis, si in singulis tres tantum senatores appellabantur, nominum ita diversitas existere poterat ut plus unus scriba senatus non esset.

[4] Quibus Atticis menses Delphici respondeant ut cognoscatur, cf. Ern. Bischoffi commentatio De fastis Graecorum antiquioribus.

[5] Cf. 2090, 1—3 . . *μηνὸς Ποιτροπίου τοῦ δευτέρου βουλευόντων τὰν πρώταν ἐξάμηνον Σωσιπάτρου* . . .

[6] Cf. 2182, 2175, 1697.

Digitized by Google

Inscripti autem sunt senatores in quinta fere manumissionum parte, idque ita ut quo antiquiores sint tituli eo rarius in iis obviam fiant. Ex iis enim qui tempore primi collegii sacerdotum facti sunt (x — 198 a. Chr. n.) nullus et ex iis qui secundi collegii sunt (198—181) unus 2012 huc pertinet. Nominantur autem in hoc titulo duo senatores et unus scriba, cum utrius anni semestris sint non legatur. Huic quod ad tempus attinet proximi sunt 1824, 1825, 2052, qui Amynta et Tarantino sacerdotibus (170—157) scripti sunt. In his semestre tempus additum est et eo solum 1824 et 1825 a 2052 differunt quod, cum in hoc scriba a ceteris senatoribus non discernatur, in illis duo senatores et seorsum ab iis scriba appellantur. Eadem ratione etiam in titulis qui in tempora collegiorum VI—XIII (150 — 90 a. Chr. n.) incidunt hi magistratus induci solent[1]. Omnino autem aliter res se habet in titulis qui post annum 90 a. Chr. n. scripti sunt. Post hunc enim annum non solum scriba non iam a ceteris senatoribus segregatur, sed etiam, cum anni semestris postea nusquam mentio fiat, senatorum munus non iam semestre sed annuum videtur fuisse. Eodem tempore etiam eorum numerus minutus est. Nam cum antea tres senatores in sex menses crearentur[2], temporibus collegiorum XIV et XV (90 — 50 a. Chr. n.) in titulis praeter unum 2208, in quo duo tantum manumissioni praescribuntur, quattuor senatores, qui in totum annum electi sunt, inveniuntur[3]. Mox hic quoque numerus magis magisque minutus est. Tres tantum senatores sunt in titulis collegiorum XVI — XVIII[4] neque plus duo plerumque in novissimis[5].

---

[1] Velut in 1686, 1692, 1697, 1698, 1928 multis.

[2] Iam vidimus fuisse tempus multo ante antiquissimas manumissiones cum quinque semestres senatores essent.

[3] Velut in 2152, 2168, 2170, 2192, 2193, 2195, 2211, 2212 aliis.

[4] Cf. 2100, 2150, 2151, 2158, 2178, 2180, 2210, 2267, 2294 B, 2327.

[5] Velut in 2156, 2179, 2188 aliis.

Digitized by Google

Contrarium atque senatoribus sacerdotibus videtur accidisse; hi enim nisi in antiquissimo fere omnium Delphicorum titulo non praescripti sunt[1].

Multis in titulis non solum ea ratione quae Delphis usui erat sed etiam aliis rationibus tempus manumissionis significatur. In iis fere omnibus ii qui servos manumittunt non Delphi sed peregrini sunt, qui etiam ea qua ipsi utebantur ratione tempus manumissionis indicari volebant. Sic, ut exempla aliquot afferam, cives Amphissenses ad Delphicum Amphissensium archontem adscribere solent[2], Ambryssii archontem Ambryssiorum[3], Chalaeenses archontem Chalaeensium[4], Erineenses archontem Erineensium[5], Callipolitae archontem Callipolitarum[6], Athenienses praetorem Atheniensium[7]. In omnibus his quos memoravi titulis et multis aliis in quibus praeter Delphicos peregrini magistratus appellantur patriae dominorum eae urbes sunt quarum magistratus ad Delphicos adscripti sunt[8].

---

[1] Cf. 2116, 2 . . *ἐν Δελφοῖς δὲ ἄρχοντος Μαντία καὶ ἱερέων Εὐκλέος, Ξένωνος.*

[2] Sic in 1684, 1757, 1828, 1829, 1880, 1889, 1912, 1913, 1921, 1922, 2025, 2093, 2116, 2141, 2223, 2249.

[3] Sic in 2102, 2147, 2256.

[4] Cf. 1734, 1927, 2145, 2146.

[5] Cf. 1719, 2172, 2286.

[6] Cf. 1765 et 2279; archontum scriba appellatur in 2137.

[7] Cf. 2089. At notum est Athenienses non ex munere *στρατηγῶν* sive praetorum sed ex archontibus annos numeravisse; itaque erravisse mihi videtur lapicida, cum ei pro *ἐν δὲ Ἀθήναις στραταγέοντος Ξενοκλέος* scribendum fuerit *ἐν δὲ Ἀθήναις ἄρχοντος.*

[8] Aliquam difficultatem habet tit. 2202, in quo Aristion, filius Anaxandridae, civis Delphicus, praeter suum etiam Amphissensium archontem et Aesculapii Amphissensis antistitem inscripsit. Nam quamquam apparet eum idcirco ita scripsisse quod Apollonium servum non solum Apollini Pythico sed etiam Aesculapio Amphissensi vendebat, tamen omnino latet quae causa eum impulerit ut — id quod singulare est et ne Amphissenses quidem cives in titulis Delphicis fecerunt — Amphissensi quoque deo servum venderet. Cf. tit. 1874, ubi Stiensis civis archontem Amphissensium manumissioni praescripsit.

Digitized by Google

Sed multi quoque tituli sunt in quibus homines peregrini non magistratus ipsarum urbium patriarum sed moderatores regionum in quibus illae sitae erant aut praetores civitatum foederatarum quarum in societate tempore manumissionis erant appellaverunt. Sic Pratias Aegiensis praeter archontem Delphorum praetorem Achaeorum[1] nominat, Euclidas Gyrtonius et Dasymenes Melitaeensis praetorem Thessalorum[2], Phalacrion Thespiensis Boeotorum praetorem[3]. Locris Ozolis velut incolis Cirrhae[4], Physci[5], Tritaeae[6], Myoniae[7], Tolophoniae[8] in titulis sollemnis est agonotheta Locrorum, quem communibus quibusdam Locrorum certaminibus praefuisse verisimile est. Praeterea eius etiam in 2140 mentio fit; sed de hoc titulo postea disputandum est. Hoc quidem loco duo addere satis habeo. Ubique comperimus quae agonothetae patria sit, eius patris autem nomen nonnusquam abest[9]. Deinde Lyco, filius Lyceae, et Theoxeno Delphis archonte et Archia Locrorum agonotheta erat[10]. Inde, quia post Theoxenum archontem et ante Archiam Niceas agonotheta erat[11], eundem hominem identidem hoc munere fungi licuisse cognoscitur[12].

---

[1] Cf. 1774.

[2] Cf. 1720 et 2138.

[3] Cf. 1872. Incidit hic titulus in a. 177/176 a. Chr. n. paucis annis ante quam foedus Boetorum, cum Romani propter Perseum adiutum irascerentur et terrerent (cf. Polyb. XXVII 1, 2 et XXVII 2, 10, Liv. XLII 44, 47), dissolutum est.

[4] Cf. 1842.

[5] Cf. 1851 et 2019.

[6] Cf. 1901, 2028, 2097.

[7] Cf. 1878, 1937.

[8] Cf. 1954. In hoc et in 1842, 2097, 2138 domini praeterea etiam patriarum urbium archontes adscripserunt.

[9] Velut in 1842, 1851, 1878, 2097.

[10] Cf. 1851 et 2019, 2028.

[11] Cf. 1901.

[12] Damoteles Physcensis, qui in 2139 *βουλαρχέων* et in 2070 *βουλαρχέων τοῦ Λοκρικοῦ τέλεος* appellatur, non Locrorum sed Aetolorum magistratus est. Nam mensis Agyius, qui in 2070 ut qui Heraclio

Digitized by Google

Ut Locrorum agonothetae nisi ab incolis oppidorum Locrorum in titulis Delphicis non appellantur, ita etiam praetores Phocensium in iis tantum manumissionibus obviam fiunt quae ab ipsis Phocensibus factae sunt. Praeter ceteros incolae Lilaeae eos praescribere solent[1], sed etiam Elateam[2], Stiram[3], Tithoream[4], Panopeum[5], Charadram[6], Ambryssum[7] in societate Phocensium fuisse cognoscimus[8].

Delphi autem tempore in quod hi tituli incidunt, quamquam et ipsi Phocenses erant, tamen praeter suum alium magistratum nominare non solent. Eorum enim urbs post tertium quod dicitur sacrum bellum (357—346) non iam sub dicione Phocensium erat et inde ab anno 189, postquam etiam a societate Aetolorum defecit, suas leges suaque iura videtur habuisse.

Praeter Delphicum archontem nullus magistratus in titulis manumissionum Delphicis frequentius occurrit quam praetor Aetolorum. Eorum enim civitas tum longe potentissima totius Graeciae erat multaeque urbes populique finitimi in eorum aut societate aut potestate erant. Sed anno 189 a. Chr. n., postquam Romani iis ut sociis Antiochi, regis Syriae, bellum

---

Delphico responderet adscriptus est, certe Aetolorum est (cf. 1959, 1975, 1978, 2036, 2044, 2112, 2126). Falso autem Baunackum in 2139 litteram *Δ*, quae una hic legitur, in *Διονυσίου*, qui Locrorum mensis est, complevisse vel ex eo apparet quod ipse hoc supplementum maius esse concedit pro spatio quod in titulo relictum sit. Scribendum enim est *Λίου*, qui et Aetolorum mensis est et idem quem Delphi Poetropium vocant (cf. 1969, 1984, 1989, 2050, 2051).

[1] Sic in 1700, 1715, 1718, 1728, 1746, 1747, 1755, 1793, 1877, 1887, 1977, 2033, 2048, 2077.

[2] Cf. 1712. [3] Cf. 1727. [4] Cf. 1770. [5] Cf. 1787. [6] Cf. 2285.

[7] Cf. 2314; in hoc ad praetorem Phocensium etiam archon Ambryssorum adscriptus est.

[8] Quod ad verba attinet in 1787 et 1877 legimus *στραταγέοντος ἐν (ἐμ) Φωκέοις*, in ceteris omnibus *στραταγέοντος τῶν Φωκέων*. In uno 1977 nihil eiusmodi additum est; tamen etiam Polyxenum Tithronium, qui hic praetor dicitur, praetorem Phocensium fuisse apparet ex 2048, ubi idem Polyxenus praetor Phocensium appellatur.

Digitized by Google

intulerunt, simul cum libertate maximam quoque partem sociorum, velut Delphos et Amphissenses, amiserunt; mox magis magisque eorum potestas minuta est. Quo fit ut quo antiquiores sint tituli eo saepius praetores Aetolorum in iis appareant. Inter novem et nonaginta hos titulos duodeseptuaginta collegiorum sacerdotum I—II (x — 180) sunt. In his plerumque ita inducuntur ut nihil scribatur nisi *στραταγέοντος τοῦ δεῖνος*. In quattuor tantum[1], ex quibus unus 2116 primi collegii est, *τῶν Αἰτωλῶν* adscriptum est. Saepius autem hoc additum reperimus in titulis collegii quod secutum est tertii (180—170). Ubi autem postea hi praetores indicantur semper legimus *στραταγέοντος τοῦ δεῖνος τῶν Αἰτωλῶν*[2]. Patris autem nomen addi non solet, cum plerumque quae praetoris patria sit comperiamus. Sed certa norma in eo adeo non invenitur ut in iisdem praetoribus appellandis usus varietur[3]. Multis locis etiam additur utrum aliquis primum an secundum an tertium an quartum praetor sit[4]. Sed hac quoque in re usus ita variatur ut ad eundem eiusdem anni praetorem modo adscriptum sit quoto hoc munere fungatur, modo omittatur[5]. Inducuntur autem hi praetores ab incolis multarum urbium, non solum ab ipsis Aetolis sed etiam a Locris Ozolis, velut imprimis ab incolis Amphissae[6], Chalaei[7], Physci[8], Naupacti[9], Tolophonis[10], Myoniae[11],

---

[1] Hi sunt 1844, 2076, 2116, 2133.

[2] Velut in 1729, 1739, 1740, 1756, 1783, 1789, 1818.

[3] Cf. 1978 *Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Θόα* et 1853 *Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Θόα Τριχονίου*. Cf. etiam 1789 et 1888, 1984 et 1969.

[4] Cf. 1844 *Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Πανταλέωνος Πλευρωνίου τὸ πρῶτον*, 1969 *Στραταγέοντος Δαμοκρίτου Καλυδωνίου τὸ δεύτερον*, 1795 *Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Ἀρχεδάμου Φόλα τὸ τρίτον*, 1853 *Στραταγέοντος τῶν Αἰτωλῶν Θόα Τριχονίου τὸ τέταρτον*.

[5] Sic in 1994 et 1995 legimus *στραταγέοντος Δικαιάρχου Τριχονέος τὸ πρῶτον*, in 2123 autem, qui eodem anno scriptus est, simpliciter *στραταγέοντος Δικαιάρχου Τριχονέος μηνὸς . . .*

[6] Cf. 1789, 1810, 1844, 1855, 1856, 1864, 1917, 1952, 1981 multi alii.

[7] Cf. 1729, 2037, 2120, 2124. [8] Cf. 1739, 1854, 2121. [9] Cf. 1740. [10] Cf. 1745. [11] Cf. 1988 et 2076.

Digitized by Google

Oeanthiae [1], a Locris Epicnemidiis, velut ab incolis Scarpheae [2] et Thronii [3], a Locris Opuntiis, velut ab ipsis civibus Opuntiis [4], a Phocensibus, velut a Tritaeensibus [5], Dauliensibus [6], Tithroniensibus [7], Ambryssiis [8], a Doriensibus, velut ab incolis Erinei [9] et Boii [10], a Thessalis, velut ab incolis Ptelei [11], a multis aliis, quos omnes enumerare longum est. Ipsi quoque Delphi, quorum patria usque ad a. 189 a. Chr. n. in societate Aetolorum erat, eorum praetorem in titulis aliquot inscripserunt [12]. Amphissenses autem, qui item a. 189 a. Chr. n. ab Aetolis defecerunt, etiam postea nonnunquam Aetolorum ratione tempora indicant.

Iisdem fere temporibus quibus incolae urbium quas supra commemoravimus praetores Aetolorum manumissionibus praescribebant etiam sive in iisdem sive in aliis titulis suarum ipsorum patriarum magistratus appellare solebant, sed ita ut, cum mos praetores Aetolorum inscribendi mox obsolesceret et in usu esse desineret, ille permaneret. Quod ut ostendamus, hunc damus eius rei conspectum:

	Tituli in quibus praetores Aetolorum appellantur	
	antiquissimi:	novissimi:
Plygonium	2049 coll. I a. 200	2069 coll. II a. 193
Delphi	2041 coll. II a. 197	1989 coll. II a. 192
Callipolis	2119 coll. II a. 194	1987 coll. III a. 174
Physcus	2121 coll. II a. 194	1739 coll. IV a. 170
Amphissa	2116 coll. I a. 200/199	1789 coll. IV a. 170/169
Chalaeum	2120 coll. II a. 194	1729 coll. IV a. 170—156
Erineus	1786 coll. III a. 174	1783 coll. IV a. 170—156
Phalicaeum	2134 coll. II a. 181	2136 coll. VII a. 140—130

[1] Cf. 1908. [2] Cf. 1756. [3] Cf. 1985. [4] Cf. 1986. [5] Cf. 1730. [6] Cf. 1969. [7] Cf. 1983. [8] Cf. 2125. [9] Cf. 1783, 1786, 1888. [10] Cf. 2074. [11] Cf. 2043, 2135.

[12] Sunt autem 1975, 1989, 1994, 2011, 2041, 2118, 2126; et omnes hi ante a. 189 a. Chr. n. facti sunt.

Digitized by Google

	Tituli in quibus ipsarum urbium magistratus occurrunt	
	antiquissimi:	novissimi:
Plygonium		
Delphi	2041 coll. IIa. 197	2322 coll. XXXIIa. 126 p.Chr. n.
Callipolis	1765 coll. IVa. 170—156	2137 coll. IXa. 130—100
Physcus	1851 coll. IVa. 170—156	2097 coll. IXa. 130—100
Amphissa	2116 coll. Ia. 200/199	2249 coll. XXI brevi p. Chr. n.
Chalaeum	1734 coll. IVa. 170—156	2204 coll. XV c. a. 50 a. Chr. n.
Erineus	1719 coll. IVa. 170—156	2172 coll. IXa. 130—100
Phalicaeum	2136 coll. VIIa. 140—130	

Paucis in titulis exteri magistratus nominantur, quamquam quae dominorum patria sit non dicitur[1]. Sed etiamsi ipsis verbis hic patria dominorum non indicatur, tamen, cum praedum et testium manumissionis patria nominari soleat et hi ubique fere populares dominorum sint, non solum eos non Delphos, sed etiam earum urbium quarum magistratus praecedant cives esse facile cognoscitur[2].

Saepe denique etiam ubi peregrini servos vendunt praeter Delphorum archontem in titulis magistratum non appellari satis habeo commemoravisse[3].

Ut ad Delphorum archontes Delphicus mensis ita ad exteros magistratus id mensis nomen quo ipsi utebantur adscribi solet[4]. Qui menses ne cum Delphicis confundantur,

---

[1] Velut in 2030, 2091, 2094, 2140, 2142, 2143, 2144, 2149, 2204, 2261, 2300, 2305, 2311.

[2] In his titulis 2144 et 2305 uni sunt ubi omnino quae dominorum patria sit non significatur.

[3] Sic in 1726, 1737, 1763, 1771, 1777, 1816, 1882, 1948, 1953, 1962 aliis multis, qui omnes collegiorum I—IV (x—156) sunt.

[4] Abest tantum in 1730, 1783, 1786, 1983, 2048, 2136, 2138.

Digitized by Google

nonnusquam addito ὡς οἱ δεῖνες ἄγοντι praecavetur [1]. Plura de hac re verba facere opus non est; nam omnia quae huc pertinent diligenter collegit et explicavit Ernestus Bischoffus in commentatione De fastis Graecorum antiquioribus.

B. De ipsius manumissionis ratione atque condicionibus.

I. De dominis.

Servi veneunt deo cuidam a dominis. Sed cum haec venditio, ut diximus, nihil nisi fictae simulationis quaedam species sit, re vera domini sunt qui servos manumittunt.

Habebant autem facultatem ita manumittendi et viri et mulieres, et Delphi et peregrini, et singuli et plures atque etiam totae urbes [2].

Mulieres quidem, quas rata ac firma negotia apud Graecos conficere non potuisse notum est, hoc ius habuisse fortasse miramur. Sed probo sententiam P. Foucarti, qui hoc mulierum ius ex origine Delphicarum manumissionum explicat [3]. Nam cum credibile sit opera pietatis religionisque etiam ad mulierum Graecarum officia iuraque pertinuisse neque dubium sit quin hae manumissiones ex consecratione servorum originem ceperint, non mirum est quod mulieres hoc ius etiam, cum eiusmodi consecrationes venditionesque per speciem tantum fiebant, servaverunt.

Quae patria dominorum sit in antiquioribus titulis fere ubique, raro in posterioribus legimus. Cf. hic eius rei conspectus:

[1] Velut in 1720 μηνὸς Θύου ὡς Θεσσαλοὶ ἄγοντι et simili modo etiam in 1747, 1994, 2033, 2136, 2143, 2311, 2146.

[2] Ipsa Delphorum urbs servum manumittit in 1706.

[3] Cf. Mémorire sur l'affranchissement des esclaves d'après les inscriptions de Delphes, Par. 1866.

Digitized by Google

Coll. sac.	Tituli in quibus patria dominorum	
	significata est:	non significata est:
I	4	—
II	126	8
III	61	19
IV	91	57
V	9	33
VI	18	69
VII	7	9
VIII	7	19
IX	8	39
X—XXXII	7	69

Semper autem multo saepius quam peregrinorum ipsorum Delphorum patria non nominatur. Quod ex hoc conspectu apparet [1]:

[1] Quamquam in his titulis patria dominorum non nominatur, tamen hic conspectus dari potest. Cf. quae diximus pg. 16.

Digitized by Google

Coll.	Patria dominorum non nominatur in:	In his dominorum patria est	
		Delphi in:	alia urbs in:
II	8	8	—
III	19	19	—
IV	57	56	1 (n. 2030)
V	33	33	—
VI	69	67	2 (2143 et 2094)
VII	9	9	—
VIII	19	17	2 (2140 et 2142)
IX	39	36	3 (2091, 2149, 2305)
X—XIV	27	25	2 (2144 et 2311)
XV—XXXII	42	40	2 (2204, 2300)

Nomina patrum ad dominorum non ubique addita sunt; in antiquioribus titulis saepe, rarius in posterioribus omittuntur.

Saepe servi a compluribus hominibus veneunt[1]. Quod si fit, plerumque ii qui manumittunt vinculis consanguinitatis aut

[1] Velut in 1688, 1692, 1695, 1705, 1714, 1717, 1755, 1759, 1761, 1765 A, 1773, 1775, 1778, 1792, 1815, 1821, nonaginta fere aliis.

Digitized by Google

affinitatis coniuncti sunt[1]. Sed non dubitamus quin nonnumquam etiam homines non propinqui eosdem servos in libertatem vendiderint. Quamquam in hac re cautione utendum est; multi enim sunt tituli in quibus dominos, quamquam de eorum propinquitate ex ipsis verbis nihil cognoscatur, tamen propinquos fuisse ex aliis titulis intellegatur[2].

Ubique ubi plures homines eosdem servos vendunt difficile est diiudicare utrum ii omnes servorum illorum domini sint necne. Saepe quidem plures praesertim propinqui hereditate in possessionem eorundem servorum veniebant, neque mirum est quod hi, quo facilius hereditatem inter se partirentur, servos hereditate acceptos vendere solebant. In aliis autem titulis singulos esse qui re vera domini fuerint pretiaque acceperint et pluralem idcirco usurpari puto quod alii, qui ipsorum dominorum propinqui erant aut servorum ipsorum vel eorum operae[3] aliquam partem habebant, venditioni assensi sunt.

Propinquos enim qui venditioni solum assensi sint inter ipsos dominos ac venditores numerari ipsi tituli docent. Sunt enim in quibus, quamquam ab uno venditio fit, tamen postea ubi praedes afferuntur *οἱ ἀποδόμενοι* legatur[4]. Hic igitur ii

---

[1] Hi tituli sunt fere octoginta, in quibus praecipue coniuges (velut in 1688, 1717, 1755, 1778, 1815, 1821, 1873, 1890, in aliis multis), fratres sororesque (velut in 1705, 1761, 1765, 1773, 1825, 1899, 1917, 1938, 1978, aliis), parentes ac liberi occurrunt (sic in 1759, 1777, 1792, 1847, 1875, 1876, 1902, 1908, 1982, multis).

[2] Cf. 1982 et 2007 cum 1735, 1761, 1792. Quo fit ut fere nusquam pro certo affirmare liceat plures homines qui eosdem servos manumittant propinquos non fuisse. Quamquam id nonnumquam verisimile est velut in 1949 et 2025 et in multis illis in quibus dominorum patria diversa est.

[3] Operam enim servorum locare atque conducere licebat. Dum igitur in ea condicione erant, eos manumittere dominis non licebat, nisi ii quibus ex pacto illi operam suam praestare debebant assensi erant.

[4] Cf. 1686, 3 . . *ἀπέδοτο Πολύα Φιλίνου συνευδοκεούσας καὶ τᾶς θυγατρὸς αὐτᾶς* et 1686, 9 . . *βέβαιον παρεχόντων τῷ θεῷ τὰν ὠνὰν οἵτε ἀποδόμενοι καὶ ὁ βεβαιωτὴρ Ἀστόξενος*. Eadem est res in 1699, 1712, 1732, 2277, 2287, 2288.

Digitized by Google

qui venditioni assensi sunt postea simul vendidisse dicuntur. Itaque plerumque nihil fere interesse puto utrum in titulis plures propinqui manumisisse dicantur an unus sed ita ut alii manumissionem assensu suo confirment. Nam hi quoque ubique fere eorum qui vendunt propinqui sunt. Saepe enim coniuges coniugibus consentiunt[1], liberi parentibus[2], parentes liberis[3], fratres fratribus sororibusque[4], alii aliis[5]. Sed restat ut quonam momento assensus fuerit explicemus. Apparet igitur dominis assensu eorum qui servorum ipsorum vel eorum operae aliquam partem haberent opus fuisse, ut rata firmaque venditio fieret. Sed haec causa non una est; nam vix creditur patri servum aliquem vendere non licuisse nisi filii eius puelluli assensu suo id permisissent[6]. In his igitur multisque aliis titulis in quibus qui heredes dominorum futuri sint consentiant causam aliam fuisse puto. Quam ex opera quam dabant domini ut libertos etiam in posterum quam maxime defenderent et tuerentur iure repetere mihi videor. Ne igitur, cum ipsi mortui essent, heredes manumissiones a se factas impugnarent, domini curabant ut illi aut simul vendidisse aut venditioni assensi esse viderentur[7].

---

[1] Velut in 1696, 1697, 1732, 1757.

[2] Sic in 1684, 1688, 1690, 1699, aliis.

[3] Cf. 1718, 1743, 1761, 1792.

[4] Velut in 2193, 2210, 2291, 2318.

[5] Velut filius ac filia neposque in 1686, filia et nepotes in 1914, ava et mater in 1761.

[6] Cf. 1983, 5—6 . . . *ἀπέδοτο Εὐκράτης, Νικὼ Ἐχεδαμιεῖς συνευδοκεόντων τῶν παιδαρίων Μενεδάμου, Εὐπάδος* et 2185, 5 . . . *ἀπέδοτο Ζωίλος Ζωίλου . . . συνεναρεστεόντων τῶν τέκνων Μελίσσου καὶ Θεοτίμας.*

[7] Significatur assensus genetivo absoluto verbi *εὐδοκεῖν* in 1726 et 2276, *συνεπευδοκεῖν* in 1785 et 2281, *συμπαρεῖναι καὶ συνεναρεστεῖν* in 2200 et 2210, *παρεῖναι* in 2219, *προνοεῖν* in 2322. In ceteris omnibus — sunt fere centum et septuaginta — legimus *συνεπαινεῖν* aut *συνευδοκεῖν* aut *συνεναρεστεῖν*. Et ita quidem haec verba usurpari solent ut in antiquioribus titulis aut *συνεπαινεῖν* aut *συνευδοκεῖν*, in posterioribus *συνευδοκεῖν*, in novissimis plerumque *συνεναρεστεῖν* scribatur.

Digitized by Google

II. De servis.

Omnibus titulis nomina servorum qui veneunt indicantur. Duo eiusdem servae nomina habet tit. 2061; quorum alterum ei fuit donec serva erat, cum alterum ante servitutem liberae fuerit et ea de causa ei in libertatem remissae restituatur[1].

In plurimis titulis etiam utrum servi virili an muliebri sexu, *σώματα ἀνδρεῖα* an *γυναικεῖα*, sint legitur. Ubi autem hoc non dicitur — neque ita panci sunt hi tituli[2] — tamen ubique cum ex aliis rebus tum ex nominibus eorum sexus cognoscitur. Numeris subductis multo plures servas quam servos libertate donatas esse videmus.

Praeter sexum etiam ubi servi nati sint saepe dicitur[3]. Unde ex omnibus fere terris, imprimis ex Thracia et Asia homines in servitutem abstractos et ne Romanos[4] quidem nec Graecos[5] a servitute tutos fuisse videmus. Multos quoque vernas fuisse intellegitur[6].

Aegre ferendum est quod de aetate servorum tituli nihil fere habent. Praeter enim unum 2322, in quo Sosylam viginti annos natam esse legimus[7], aut nihil de aetate eorum aut eos tempore manumissionis parvulos fuisse comperimus[8].

---

[1] Cf. 2061, 3 et 4 . . . *ᾗ ὄνομα Ζωπύρα, τὸ δὲ πρότερον ἦν Σῖμον* et 2061, 9 . . *Ζωπύρας τᾶς πρότερον καλειμένας Σίμου*. Hoc igitur servae nomen erat, illud liberae est.

[2] Saepe quo sexu servi sint non indicatur in antiquioribus titulis, raro in posterioribus; *παιδάριον* nisi ubi ad servum virilem spectat non usurpatur.

[3] Excipiuntur multi tituli velut 1687, 1690, 1691, 1693, 1694, 1700, 1702, 1704.

[4] Cf. 1985 et 2116.

[5] Cf. 1685, 1689, 1732, 1747, 1950, 2044, alii.

[6] Hi plerumque *οἰκογενεῖς* aut *ἐνδογενεῖς* dicuntur; praeterea legitur in 1942 *κορίδια δύο, ἃ ἐξεθρέψαντο αὐτοί*, in 2092 *σῶμα ἀνδρεῖον τὸ γένος ἐγγενῆ*, in 2307 *σῶμα ἀνδρεῖον . . τὸ γένος οἰκοθεν*.

[7] Cf. 2322, 7 . . . *Σωσύλαν ὡς ἐτῶν κ'*.

[8] Velut in 1703, 1705, 1708, 1713, 1714, 1721, aliis multis.

Digitized by Google

Paucis locis ii quoque nominantur a quibus domini servos quibus libertatem donant antea acceperant[1].

Patrum nomina ad sua adiungere civium erat. Quod etiam tribus servis id fit[2], hoc factum esse verisimile est, ut ab aliis servis, qui iisdem nominibus vocarentur, internoscerentur.

III. De manumissionis rationibus.

Quo tutiorem libertatem servorum redderent, domini eos in fidem tutelamque deorum tradebant. Quod ita faciebant ut diis eos aut venderent aut sacrificarent aut manumissos commendarent.

Ac primum quidem domini deo cuidam servos vendebant sed ea condicione ut hic eos statim libertate donaret. Itaque pretia, quae dominis pro servis pendebantur, sacerdotibus antea ab ipsis servis[3] tradita erant. Pretia autem plus minusve quattuor minae erant neque valde ab iis quae Demosthenis temporibus Athenis usitata erant differunt[4]. Multo minoris pueros puellasque constitisse ex se intellegitur[5], maxima autem ii potissimum solvunt qui artem aliquam noverunt[6]. Ubi complures simul servi veneunt modo quantum singulorum, modo

---

[1] Novem tantum huiusmodi titulos inveni; quorum in septem (1791, 1795, 1862, 1863, 1912, 1940, 2265) dominos servos emisse videmus. In 1730 autem (*σῶμα γυναικεῖον, ᾧ ὄνομα Ἀγαθόκλεια, τὰν ἔλαβε παρὰ Λυκίσκας*) et 2264 (*παιδάριον, ᾧ ὄνομα Σωτήριχος, τὸ πρότερον ὂν Νικασίππου*) fortasse non emptione sed donatione aut ex legato domini in possessionem servorum venerant.

[2] Cf. 1727 *σῶμα ἀνδρεῖον, ᾧ ὄνομα Πρῶτος Πρώτου*, 2080 *Σωτὼ Δόρκωνος*, 2265 *τὸν υἱὸν τὸν Ἑρμαίου καὶ Σωσοῦς Σωσθένη*.

[3] Pro servis alii pretia solvunt in 2123, ubi mater filiam, et in 2086, 2167, 2172, ubi populares ab hostibus captivos redimunt.

[4] Cf. Demosth. XIX 169.

[5] Hi plerumque una duabusve minis libertatem sibi emunt velut in 1699, 1705, 1708, 1713, 1714, 1721, 1751.

[6] Cf. 1842, 2049, 2154, 2177. Eadem de causa alios quoque servos velut Soterichum in 1938 (22 minis), Etasium in 2146 (20 minis), Hilarum in 2283 (15 minis), Soteridam in 2181 (13 minis) maximo constitisse puto.

Digitized by Google

quantum omnium pretium sit dicitur[1]; in plerisque autem titulis utrum pretia quae postulantur singulorum an omnium sint non significatur[2].

Sed non omnes servi pretia redemptionis statim exsolvere poterant. Itaque domini, si statim totum acceperant, acceptum testari solent. Verba quae, ut hoc significent, ab iis usurpantur sunt *τὰν τιμὰν ἔχει*, *τὰν τιμὰν ἔχει πᾶσαν*, *τὰν τιμὰν ἀπέχει*, *τὰν τιμὰν ἀπέχει πᾶσαν*. Sed neque hae dictiones per omnia manumissionum tempora promiscue usurpantur neque ipse testandi usus omnibus temporibus pariter frequens est. Quod apparet ex hoc conspectu:

Coll. sac.	Sunt tituli	Domini acceptum testantur verbis:			
		τὰν τιμὰν ἀπέχει πᾶσαν in:	*τὰν τιμὰν ἀπέχει* in:	*τὰν τιμὰν ἔχει πᾶσαν* in:	*τὰν τιμὰν ἔχει* in:
I	4		1		
II	134			5	3
III	80			3	5
IV	148			41	25
V	42			18	11
VI	87		2	58	12
VII—X	98	4		75	1
X—XVII	47	19	1	18	1
XVIIa—XXXII	23	11		4	

[1] Hoc velut in 1955, 2314, 2323, illud velut in 1784, 2106, 2156, 2183.

[2] Ubique in his pretia ad omnes spectare puto.

Digitized by Google

In antiquissimis igitur titulis domini raro, saepius in recentioribus, saepissime autem in novisimis se pretia accepisse diserte affirmant. Haec ratio manumittendi servos longe est usitatissima.

Inter venditionem et consecrationem hoc unum interest quod illa ratione soluto pretio, hac autem gratuitus servo libertas datur. Consecrationes autem perpaucae in titulis occurrunt. Certe huc pertinet tit. 2101, ubi Alcesippus se ea condicione Theotimam servam consecrasse dicit ut se mortuo libera esset. Accedit tit. 2097, qui eo maxime memorabilis est quod non Delphis sed Physci et in contione populi consecratio facta et titulus, quo res promulgaretur, aliquot mensibus post Delphis scriptus est [1].

Etiam 2071 et 2172 consecrationum tituli sunt. Sed cum priore ratione servo ipsa consecratione et gratuitus libertas detur, ii qui in his titulis obviam fiunt servi, Antiochus et Euporia, iam antequam Apollini consecrantur pretio soluto liberi facti sunt [2]. Hi igitur venditione libertatem adepti sunt et manumissi demum consecratione diis tuendi commendantur.

Denique restat ut videamus quibus diis servi tradantur. Deus igitur cui servi veneunt aut consecrantur ubique fere Apollo Pythius est, quamquam nomen eius nonnusquam abest [3].

---

[1] Cum ubi venditiones fiunt aptum verbum sit *ἀποδίδοσθαι*, consecrationes significantur verbo *ἀνατιθέναι*. Et non solum Delphis sed etiam aliis in regionibus diis servos consecratos esse docent 4588 et 4642.

[2] Euporiam et Antiochum iam ante consecrationem pretia solvisse libertatemque sibi emisse ostendunt 2071, 2—6 *ἀνατίθησι τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ ἐλευθέραν ἐμ παραθήκῃ Εὐπορίαν . . καταβεβληκυῖαν δραχμὰς Ἀλεξανδρείας διακοσίας* et 2172, 6—8 *ἀνέθηκαν σῶμα ἀνδρεῖον, ᾧ ὄνομα Ἀντίοχος, τῷ Ἀπόλλωνι . . ἀπειλοφότες παρ' αὐτοῦ λύτρα ἐκ πολεμίων*.

[3] Plerumque legitur *ἀπέδοτο ὁ δεῖνα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ σῶμα* . . In 1688, 1713, 1821, 1896, 1930, 1971, 2268, 2296 hic deus simpliciter *ὁ θεός* appellatur. Apparet ita *κατ' ἐξοχήν* ipsos Delphos Apollinem Pythium vocavisse; itaque quod hic ubique domini cives Delphici sunt vix casu accidisse puto. Multis denique locis servos deo venire omnino non dicitur sed inferioribus demum locis cognoscitur velut in 1708 . . *ἐπὶ τοῖσδε ἀπέ-*

Digitized by Google

Bis tantum praeter eum alius deus occurrit, in 1810 Diana et in 2202 Aesculapius Amphissensium. Complures autem tituli sunt in quibus omnino nullius dei mentio fit. Sed praeter 1694 hi non ipsarum manumissionum tituli sunt, sed tamquam harum supplemento testantur servos, qui iam antea liberati et in Apollinis tutelam commissi erant, officia quaedam, quae iis in ipsis manumissionibus, ut omni ex parte liberi fierent, imposita erant, praestitisse[1]. Eosdem autem homines identidem in deorum fidem tradere supervacaneum erat[2]. Alia autem res est in 1694. Hic enim Alexander servam non Apollini, sed Boetho vendit idque ita ut mulier illa usque ad mortem eius apud Boethum maneat. Simul autem hic Boethus Apollini eam quinque mensibus post consecrare iubetur[3].

IV. De manumissionis condicionibus.

Manumissiones igitur Delphicae praeter paucas nihil sunt nisi venditiones. Vendit enim dominus, venit autem servus, qui specie quidem ac dicis causa Apollini traditur, re vera autem libertatem sibi emit. Venditio autem non fit, nisi eius condiciones et ei qui vendit et ei qui emit placuerunt.

Dominum quidem condicionibus venditionis contentum fuisse in titulis scribi opus non erat, cum ipse eas dare soleret.

δοτο Τιμὼ Εὐδίκου συνεπαινέοντος τοῦ υἱοῦ αὐτᾶς Λαδίκου σῶμα γυναικεῖον κοράσιον, ᾧ ὄνομα Μήδα, τιμᾶς ἀργυρίου δύο μνᾶν, καθὼς ἐπίστευσε Μήδα τῷ θεῷ τὰν ὠνάν, ἐφ' ᾧτε ἐλευθέρα εἶμεν. Idem fere legitur in 1760, 1805, 1808, 1837, 1865, 1915, 1926, 1927, 1933, 1973, 1987, 2056, 2144, 2178, 2192, 2252, 2277.

[1] Cf. 1750 cum 1749, 1919 cum 1918, 2157 cum 2156, 2167 cum 2168, 2200 cum 2199, 2220 cum 2219.

[2] Quamquam etiam hoc accidisse ut idem servus identidem in fidem deorum commendaretur demonstrat tit. 2210. Nam Prepusa serva, quae iam in 2192 Apollini consecrata erat, hic iterum tuenda ei traditur. Cf. etiam tit. 1844.

[3] Cf. 1694, 10 et 11 *ἀναγραψάτω δὲ Βόηθος Θρᾶισσαν ἀπὸ τοῦ Αλεξάνδρου ὀνόματος τῷ θεῷ ἐν μηνὶ Εἰλαίω . . .*

Digitized by Google

Servi autem consensus plerumque significatur verbis *καθὼς ἐπίστευσε τῷ θεῷ τὰν ὠνάν, ἐφ' ᾧτε . . .*[1].

Exprimuntur autem libertatis condiciones plerumque infinitivo consecutivo, qui aut ab enuntiato quo dominum servum vendere aut ab eo quo servum condicionibus consentire dicitur pendet. Hic nominativum, illic accusativum infinitivo aptum esse apparet[2]. Tamen nonnusquam haec confusa sunt[3]. Sed iam videamus quae libertatis condiciones sint.

Libertas igitur qua servus donatur aut plena et integra est aut variis condicionibus coercetur et obstringitur.

1. De iis quibus plena libertas datur.

Absoluta integraque libertas significari solet verbis *ἐφ' ᾧτε ἐλεύθερον εἶμεν καὶ ἀνέφαπτον ἀπὸ πάντων τὸν πάντα βίον ποιέοντα ὅ κα θέλῃ καὶ ἀποτρέχοντα οἷς κα θέλῃ*. Servus igitur cui haec libertas data erat ab omnibus oneribus muneribusque liber erat et ei licebat ex suo arbitrio vivere et ubicumque volebat sedem collocare. Sed cum libertinorum condicio eadem fere esset quae *μετοίκων*, iis ubicumque habitabant patronis opus erat; quos ii qui licentia abeundi usi alias in regiones emigraverant haud dubie ipsi sibi eligendi potestatem habebant. Ii autem qui in urbibus dominorum remanebant — et hi certe plurimi erant — pristinis dominis patronis uti debebant[4].

---

[1] Tituli qui omnino his vel similibus verbis careant fere quinque et septuaginta numerantur.

[2] Sic accusativus infinitivum sequitur 1684, 2—5 *ἀπέδοτο Ἀριστομήδης τῷ Ἀπόλλωνι . . σῶμα γυναικεῖον, ᾧ ὄνομα Καλλικράτεια . . καθὼς ἐπίστευσε Καλλικράτεια τὰν ὠνὰν τῷ θεῷ, ἐφ' ᾧτε ἐλευθέραν εἶμεν καὶ ἀνέφαπτον . .*, nominativus autem 1685, 1—4 *ἀπέδοτο Ἄθαμβος . . τῷ Ἀπόλλωνι . . σῶμα γυναικεῖον, ᾧ ὄνομα Ἁρμοδίκα . . . καθὼς ἐπίστευσε Ἁρμοδίκα τῷ θεῷ τὰν ὠνὰν ἐφ' ᾧτε ἐλευθέρα εἶμεν καὶ ἀνέφαπτος . . .*

[3] Velut in 1697 *ἐφ' ᾧτε ἐλευθέραν εἶμεν καὶ ἀνέφαπτος ἀπὸ πάντων τὸν πάντα χρόνον ποιοῦσα ὅ κα θέλῃ καὶ . . .* Idem in 1698, 1738, 1756 aliis.

[4] Hoc et omnino notum est et comprobatur titulo 2172, 10 et 11, ubi legimus *προστάτας δὲ αἱρεῖται τοὺς ἀπελευθερίξαντας*. Idem facere iubetur Parnassus in 2251.

Digitized by Google

Itaque quod Parnasso quoque, quem liberum esse tit. 2251 testatur, quamquam licentiam abeundi adeptus est, tamen ut pristinum dominum patronum eligat imperatur, ex se intellegitur hoc ita tantum valere, si Parnassus in eius civitate remaneat[1]. Libertos denique certa quaedam officia patronis praestare debuisse et, si quid peccaverant, non extra poenam fuisse ex 1806 et 2271 cognoscimus[2].

2. De iis quibus libertas certis quibusdam condicionibus datur.

a) De condicione παραμονᾶς.

Libertas manumissorum variis condicionibus coerceri solet; omnium autem gravissima est *παραμονά*. Qua ita servi manumittuntur ut a certo demum tempore plenum libertatis usum habituri sint, interim in servitii officio permaneant.

Paulum eorum qui ita manumissi sunt condicio ab ipsorum servorum condicione differt. Nam ipsi quoque iis apud quos manent dicto audientes esse debent *ποιέοντες τὸ ποτιτασσόμενον πᾶν τὸ δυνατὸν ἀνεγκλήτως*[3]. Qua in re si quid peccaverunt aut fugere conati sunt, non solum gravissimae iis impendent poenae[4], sed etiam ipsae venditiones, quibus liber-

[1] In hoc titulo etiam statuitur ut ipso Parnassi patrono mortuo eius heredes in locum eius succedant. Cf. 2251, 28 *προστάταν δὲ νεμέτω Δεξώνδαν καὶ τοὺς ἐγγόνους Δεξώνδα.*

[2] Cf. 1806, 9 et 10 *ποιέουσαν ὡς πατέρι Ἐργασίωνι* (hic dominus patronusque est) *τὰ νομιζόμενα* et 2271, 26 et 27 *εἰ δὲ πονηρὰ ποιοῖτο Διοσκουρίδας, τὰ Διοσκουρίδα πάντα ἔστω Ἀρχελάου καὶ Ξένωνος* (ab his Dioscuridas manumissus est).

[3] Sic in 1689, 1696, 1747, 1823, 1843, 1832, 1899.

[4] Hoc cum alii multi tituli velut 1703, 1707, 1717, 1723, 1726, 1731 tum 2156 ostendit verbis *εἰ δὲ μὴ παραμείναιεν ἢ μὴ πειθαρχέοισαν, ἐξουσίαν ἐχέτωσαν Φίλων καὶ Εὐάμερις ἐπιτειμέοντες τῶμ μὴ πειθαρχεόντων καὶ μαστιγοῦντες καὶ διδέντες καὶ ἐγμιστοῦντες τὰν ἐργασίαν.* Neque leviores poenae indicantur tit. 2171, 2216, 2324. Eos autem servos qui morte dominorum a mansione liberentur etiam ab heredibus dominorum ad rationem reddendam revocari licuisse cognoscimus ex 2034, 22 et 23. Fugitivis autem ne templum quidem asylum fuisse docet tit. 1723, 12.

Digitized by Google

tatem adepti sunt, irritae fiunt[1]. Accedit quod domini de poenis quibus illos affecerant ad rationem vocari non possunt. Id enim non solum in titulis aliquot expresse dicitur[2], sed etiam ex multis colligitur in quibus simpliciter domino punire licere scribitur *τρόπῳ ᾧ κα θέλῃ ποιεῖων ὅ κα θέλῃ*[3]. Denique ne filii quidem quos per diuturnitatem mansionis gignunt statim liberi sunt, sed condicionis parentum participes esse solent[4]. Similis igitur horum libertorum condicio est atque ante manumissionem fuerat, quod idem significatur verbis quae legimus in 2160, 6 *παραμεινάτω δὲ Νικασίβουλος παρὰ Ἄρχωνα ἔτη τρία δουλεύων καθὼς καὶ ὡς*.

Attamen hi non ab omni parte pariter atque servi habentur. Quamquam enim dominis gravissimis eos afficere poenis licet, tamen interficiendi potestas iis non est[5]. Neque eos vendendi ius habent; nam etiamsi posterioribus demum titulis domini ita facere expresse vetantur[6], semper id vetitum fuisse apparet, quod, si fieri licuisset, timendum erat ne manumissi venditione in aliorum manus venirent qui pristinorum dominorum officia non praestantes perpetua servitute eos oppressos tenerent. Sed cum hoc ad omnes qui mansionem

---

[1] Cf. velut 1689, 1702, 1721, 1747, 1811, 1819, 1832, 1854 *(δίκη ἀποστασίου)*.

[2] Velut in 1748, 1752, 1755, 1757, 1767, aliis multis.

[3] Haec vel eadem fere verba saepe adscribuntur velut in 1703, 1707, 1719, 1723, 1726, aliis multis.

[4] Cf. 2136, 14—15 *εἰ δὲ γενεὰ γένοιτο Ἀφροδισίας ὑπηρετούσας Ἀφροδισίας Ἑρυμάνδρα . . . ἐλεύθεραι ἔστων καθὼς καὶ Ἀφροδισία*. Idem fere statuitur tit. 1798, 1942, 2225.

[5] Cf. 2261, 15 *κύριος ἔστω Εὐκλείδας ἐπιτιμέων Σκύλλᾳ καὶ μαστιγώων πλαγαῖς ἀσινέοις*. Aliis autem verbis idem significari puto in 1714 et 2269, ubi dominorum ius in eos animadvertendi ita coercetur ut iis punire eos liceat ut liberos.

[6] Cf. 1723, 15 sqq. *καὶ ἐξέστω Ἀπολλοδώρῳ καὶ ἄλλῳ ὑπὲρ Ἀπολλόδωρον κολάζειν Φαινέαν τρόπῳ οἵ κα θέλωσιν . . πλὰν μὴ πωλησάτω Ἀπολλόδωρος Φαινέαν*. Eadem fere leguntur in 2019, 2140, 2156, 2158, 2159, 2163, 2171, 2186, 2190, 2225, 2274.

Digitized by Google

praestare debent pertineret, praecipuum quoddam beneficium iis paucis datum est quibus domini utrum dicto oboediverint necne non suo ipsorum arbitrio se diiudicaturos esse pollicentur, sed permittunt ut res causaeque ad tres arbitros ferantur. Novem tantum huius rei exempla in titulis Delphicis inveniuntur[1], quorum duo, 2049 et 2072, primi collegii sunt[2]. Hi praeter ceteros commemoratione digni sunt eo quod iis statuitur ut inter tres illos arbitros ambo sacerdotes Apollinis sint. Accedit quod, cum in ceteris arbitri ab utraque parte, et a domino et a servo, eligi soleant, in 2072 domino solum hoc ius fuisse videtur. Nam hic Menarchum dominum solum duos illos sacerdotes Cleonemque arbitros constituisse eo verisimile est quod Cleone mortuo alium arbitrum pro eo sublegere iubetur[3]. Quamquam non semper necesse fuisse ut pro mortuis alii arbitri sublegerentur cognoscimus ex tit. 1832. Hic enim uno vel pluribus mortuis etiam reliquos satis esse dicitur[4]. Eodem titulo etiam spatium bimestre statuitur, quo causae ad arbitros deferendae sint[5]. Sed num hi, id quod in 1832, 1858, 1874, 1971 iubentur, ante iudicium semper iurare debuerint se integre et sine ira et studio rem diiudicaturos esse incertum est. Tituli 2049 et 2072 denique etiam eo a ceteris differunt

---

[1] Sunt autem nn. 1689, 1694, 1696, 1832, 1858, 1874, 1971, 2049, 2072.

[2] Cum quattuor tantum huius collegii tituli sint, iure inde efficere mihi videor id quod postea tam raro accidit ut ad arbitros refugeretur antiquissimis temporibus usitatum fuisse.

[3] Cf. 2072, 25 et 26 *εἰ δέ τί κα πάθη Κλέων, ἄλλον ἀνθελέσθω Μέναρχος Δελφὸν ὅν κα αὐτὸς θέλῃ.*

[4] Cf. 1832, 12—15 *εἰ δὲ μὴ θέλοι Ἀμύντας ἢ Σωτήριχος ἀντὶ τῶν ἀπογενομένων κοινῶν εἴτε ἑνὸς εἴτε πλειόνων συνεφαιρεῖσθαι τοὺς κοινοὺς τῷ θέλοντι αὐτῶν συνεφαιρεῖν, καὶ κύριοι ἐόντω οἱ καταλιπόμενοι εἴτε εἷς εἴτε πλείονες εἶεν οἱ κρίνοντες.*

[5] Neque enim dubium est quin Baunackus in verbis *τὸ δὲ ἔγκλημα μὴ μικρότερον ἐπικαλείσθω διμήνου* pro *μικρότερον* Curtium secutus recte *μακρότερον* scripserit.

Digitized by Google

quod hic tres arbitri statim constituuntur; plerumque enim non ante electi esse videntur quam iudicio eorum opus erat.

Praecipuum quoque privilegium est quod Diocleae concessum est ut filios quos per mansionem genuisset aut interficeret aut ut liberos educaret[1].

Ius autem quaestus faciendi ad omnes qui condicione mansionis libertatem adepti erant pertinuisse et ipsum, quia plerumque ne servis quidem id negabatur, verisimile est et ipsis titulis aliquot confirmatur[2].

Restat ut videamus quamdiu mansio duraverit[3]. Diuturnitas igitur mansionis diversa est non solum, quod saepe fortunae vicissitudine continetur, sed etiam longe diversa mansionis tempora titulis statuuntur. Sed minus quam duos annos non inveni nec plus decem[4]. In duobus autem titulis, 1904 et 2254, omnino nihil de mansionis spatio dicitur; sed hoc neglegentia aut casu factum esse apparet. Anni autem mansionis non ubique ab ipso manumissionis die numerantur, sed nonnumquam etiam, quo simplicior ratio fiat, ab initio anni qui venditionem sequitur[5] aut ab initio anni quo manumissio facta

---

[1] Eos autem vendere ei non licet. Cf. 2171, 16 sqq. *εἰ δὲ γένοιτο ἐγ Διοκλέας τέκνον ἐν τῷ τᾶς παραμονᾶς χρόνῳ, εἴ κα μὲν θέλῃ ἀποπνεῖξαι Διόκλεα, ἐξουσίαν ἐχέτω, εἰ δὲ θέλοι τρέφειν ἔστω τὸ τρεφόμενον ἐλεύθερον· εἴ κα μὴ αὐτὸ θέλῃ, πωλῆσαι δὲ τὸ γενηθέν, μὴ ἐχέτω ἐξουσίαν Διόκλεα μηδὲ ἄλλος μηθείς.*

[2] Cf. 1798, 14 sq. *ὅσα δέ κα κτήσηται Δαμαρχὶς μένουσα παρὰ Θευδώραν Δαμαρχίδος ἔστω.* Cf. etiam 1874, 27.

[3] Mansio non semper ipsis dominis praestanda est, sed nonnumquam etiam alii a dominis designantur apud quos illi maneant. Sic velut in 1719, 1723 (in hoc Phaeneas apud eum manere debet qui pretium redemptionis pro eo domino solvit), 1823, 2046, 2051, 2261.

[4] Duo anni mansionis occurrunt in 1955 et 1984, decem in 1764, 1811, 2209.

[5] Cf. 1696, 12 et 1867, 4. In hoc legimus Sosicham sex annos apud dominum manere eosque numerari a Xenochare archonte et mense Apellaeo. Manumissio autem facta est Melissione archonte et mense Ilaeo. Itaque, quia Ilaeus ultimus et Apellaeus primus anni mensis est et Xenochares, id quod ex 1794, 1862, 1863, 1864, qui tituli uno anno post 1867

Digitized by Google

est[1]; ab initio autem manumissionis mensis spatium mansionis numeratur in 1843 et ab initio mensis qui sequitur in 1832, 1867, 2160.

In iis titulis quibus mansionis certi anni statuuntur mirum est quod raro dicitur quid fiat, si domini ante spatium mansionis exactum mortui sint[2]. In paucioribus tamen de ea re cautum est. Irena enim, cui decem annos aqud Sostratum manendum est, si hic antea mortuus erit, statim libera erit[3]. Sed tanta clementia ac gratia non semper domini utuntur. Dorema enim, quae octo annos manere debet, si dominus, priusquam hoc tempus praeteriit, mortuus erit, non libera erit, nisi filiae eius tot semiminas solverit quot anni mansionis supererunt[4]. Similis est res in 1867, ubi Sosicha, quae, quod pretium redemptionis nondum pependit, per sex annos domino mansionem ita praestare debet ut unam quoque anno semiminam solvat, domino mansione nondum finita mortuo iisdem condicionibus Callidae debitum solvere iubetur. Soterichus autem, cui octo annorum mansio imposita est, domino interea mortuo reliquum tempus apud filium eius remanebit[5].

---

scripti sunt, cognoscitur, Melissioni succedit, etiam hic anni mansionis ab initio anni qui manumissionem sequitur numerantur. In 1984, 6 autem legimus *παραμεινάτω δὲ Νικόβουλος παῤ Ἀριστόδαμον ἔτεα δύο μετὰ τὰν Πασίνου ἀρχάν*. Quis hic Pasinas fuerit ignoramus, sed eum, cum dominus civis Amphissensis sit, tempore manumissionis Amphissensium archontem fuisse verisimile est. Itaque hunc quoque titulum huc pertinere puto.

[1] Cf. 1843, 16.

[2] Cf. velut 1696, 1702, 1743, 1811, 1843, 1978, 2160.

[3] Cf. 2209, 30—32 *εἰ δέ τι ἀνθρώπινον γένοιτο περὶ Σώστρατον πρὸ τοῦ τα δέκα ἔτη διελθεῖν, ἐλευθέρα ἔστω Εἰράνα.*

[4] Cf. 2084, 5—10 *εἰ δέ τί κα πρότερον πάθῃ Νίκων πρὸ τοῦ τὰ ὀκτὼ ἔτη διελθεῖν, κατενέγκαι Δώρημα Καλλιβούλᾳ τοῦ καταλειπομένου χρόνου ἐν τὰ ὀκτὼ ἔτη τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀργυρίου ἡμιμναῖον.*

[5] Cf. 1832, 15—17 *εἰ δέ τί κα πάθῃ Ἀμύντας ἐν τοῖς ὀκτὼ ἐτέοις, παραμενέτω Σοτήριχος παρὰ τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀμύνταν . . ἄρχι κα διεξέλθωντι τὰ ὀκτὼ ἔτη.* Idem fere in 1742 et 2015.

Digitized by Google

Multum dominorum interfuisse libertos per mansionem omnia quae facere iussi essent diligentissime perficere iam vidimus. Sed fieri poterat ut morbis illi impedirentur. Id quoque semel provisum est. Statuit enim Amyntas ut Soterichus si morbo implicatus plus duos menses aegrotavisset, tanto diutius apud se maneret[1].

Multo maior eorum titulorum numerus est in quibus spatium mansionis incertum est neque antea definiri potest, quia fortuna terminatur. Eorum plurimi ad eos manumissos attinent quorum mansio morte demum eorum quibus ea praestatur finitur[2]. Quo modo non raro domini iique maxime quibus liberi non erant cavebant ut, cum senescerent, diligentissime ab iis curarentur et mortui rite sepelirentur[3]. Sed etiam aliter mansio terminatur. Lydus enim apud Agesium remanebit, dum haec nupserit[4]. Et simili modo Phalacra apud Euphranorem et eo mortuo apud filium eius Timangelum manere

---

[1] Cf. 1832, 24 et 25 *εἰ δὲ μαλακισθείη Σωτήριχος, ὁ μὴ γίνοιτο, πλεῖον διμήνου, ἐπαποδότω τοῦ πλείονος χρόνου Σωτήριχος Ἀμύντα καὶ ποτιπαραμεινάτω.*

[2] Liberti qui apud coniuges manere debent utrum altero eorum an utroque demum mortuo liberi fiant non semper apparet. Hoc demonstrare videtur 1890 *(εἰ δέ τί κα πάθωντι Κλεύδαμος καὶ Καλλικράτεια, ἐλευθέρα ἔστω Δαματρία)* et 2088 *(παραμεινάτω δὲ Δικαιοσύνα παρὰ Πραξίαν καὶ Πραξὼ ἄρχι κα ζώωντι ἀμφότεροι)*, illud autem 1757 *(εἰ δέ τί κα πάθωντι Νικοβούλα ἢ Κάλλιπος, ἐλευθέρα ἔστω Σοσίχα)* et 1944 *(παθόντος τι Ἱέρωνος ἢ Ζωδίχας . . .)*.

[3] Cf. 1723, 18—20 *ἐπεὶ δέ κα γηροτροφήση Φαινέας Ἀολλόδωρον ἀνεκκλήτως καὶ θάψη καὶ τὰ νομιζόμενα ποιήση πάντα ὅσα νομίζεται τοῖς τεθνακότοις, ἐλεύθερος ἔστω.* Cf. etiam 1689, 1731, 1775, 1796, 1799, 2100, 2101, 2150, 2151, 2178. Sed non de suo hos libertos pecuniam quae ad dominos rite sepeliendos necessaria erat dare debuisse ostendunt 1799, 5 *(ποιησάτω τὰ νομιζόμενα πάντα Μιθραδάτης ἐκ τῶν Λαρίσας)* et 2101, 11 et 12. Sine liberis autem plerumque fuisse hos dominos et ipsum verisimile est et confirmatur titulis 1799, 2100, 2150, 2178, ubi liberti qui ita facere debent a dominis heredes instituuntur.

[4] Cf. 1965, 6 *παραμενέτω δὲ Λυδὸς παρ' Ἀγήσιον ἄχρι κα ἄνδρα λάβῃ Ἀγήσιον.*

Digitized by Google

debet, dum hic uxorem in matrimonium duxerit[1]. Cautionis autem loco domini ab iis mansionem exigere solent qui pretia redemptionis statim exsolvere non possunt. Neque enim hi plenam libertatem ante nanciscuntur quam debita praestiterunt. Sic Cyprius Archelao domino mortuo tum demum mansione liberabitur cum tres semiminas (tantum enim pretii restat) tribus domini filiis intra annum ita pependerit ut singuli singulas semiminas acceperint[2]. Etiam Aphrodisiae, quae, cum pretium tres minae essent, duas tantum videtur dedisse, libertas ne dominis quidem mortuis integra erit, priusquam filio eorum minam argenti solverit[3]. Soteris autem, quamquam totum pretium statim pependit, tamen post mortem domini filio eius minam dare debet[4].

Compluribus denique manumissis ea condicione plena libertas datur ut pro dominis certam pecuniam in eranos aliorum hominum solvant. In hanc rem, cum hi tituli ad eranum quid sit et quae eius condiciones fuerint cognoscendum multum valeant, accuratius hoc loco inquirendum est.

De erano.

Ubi quis aere alieno premebatur aut alia inopia laborabat neque habebat unde sumeret, ad amicos paratum erat refugium, qui quanto egebat ille conferebant. Argentum quod ita colligebatur et ipsa eius collectio eranus vocabantur[5]. Quibus ita pecunia collata erat id maxime commodo erat quod eranus

---

[1] Sic in 1747; eadem est condicio in 1971.

[2] Cf. 1749, 4—6 *εἰ δέ τί κα πάθῃ Ἀρχέλαος, ἐλεύθερος ἔστω Κύπριος . . ποταποτεισάτω δὲ τὸ ἐπίλοιπον τᾶς τιμᾶς, ἀργυρίου τρία ἡμιμναῖα, Θηβαγόρα ἡμιμναῖον, Δωροθέῳ ἡμιμναῖον, Ἀρχίᾳ ἡμιμναῖον.*

[3] Sic in 1717.

[4] Cf. 2186, 22 sq. *ἐπεὶ δέ κά τι πάθῃ ἀνθρώπινον Ἀντίφιλος, ποταποδότω Σωτηρὶς Βάττῳ ἀργυρίου μνᾶν καὶ ἐλευθέρα ἔστω Σωτηρίς.*

[5] Praeter hanc etiam collatio pecuniarum quae ad convivia celebranda et ad negotia communia sacraque obeunda fiebat eranus dicebatur. Cf. van Holst, De eranis veterum Graecorum imprimis ex iure Attico p. 13.

Digitized by Google

gratis dabatur[1]. Sed reddendum fuisse hoc argentum cum alii scriptorum loci, velut Isaei XI 43 et Lycurg. 22, tum Theophrastus docet in Charact. 17. Hic enim homo aliquis, cui alter de erano accepto gratulatus est, respondet: 'Quid iuvat? Reddenda enim est haec pecunia singulis qui dederunt, et praeterea magna gratia iis habenda est pro beneficio in me collato'. Ii igitur qui eranum contulerant creditores eorum erant qui eum sibi corrogaverant. Creditoribus autem licuisse alios designare quibus pro se pecunia a debitoribus redderetur ex D S[2] 817 cognoscimus. Ibi enim legimus Sostratum, qui simul cum aliis Alexicli eranum dederat, ita de suo iure decessisse ut pro se generum creditorem Alexiclis substitueret. Sed etiam contra factum esse, ut is qui eranum mutuum accepisset suum debitum in alium transferret, ex titulis Delphicis apparet. Fit autem erani mentio in septem, qui sunt 1754, 1772, 1791, 1804, 1878, 1909, 2317. In omnibus his liberti, ut a mansione liberentur, eranos a dominis acceptos pro illis reddere debent[3]. Sed etiam de ipsis erani condicionibus multa ex his titulis discimus. Ac primum quidem iis a quibus eranus peteretur certa quaedam pignora dabantur. Legimus enim in 1804, 3 et sqq. *κατενεγκάτω δὲ Ἀφροδισία τὸν ἔρανον τὸν Βρομίου, οὗ ἐγγυνεύει Ἰατάδας, μὴ ἀκαταβολέουσα μηδὲ καταβλάπτουσα Ἰατάδαν.* Recte iam Foucartus haec verba interpretatus est[4]. Res enim haec est. Iatadas Aphrodisiam ea condicione manumittit ut pro se certam pecuniae summam creditoribus solvat. Quam pecuniam non ipse Iatadas mutuatus erat, sed pro Bromio, cum hic eranum quondam petiturus esset, praedem se dederat. Itaque cum nescio qua de causa Bromius debitum non reddidisset, Iatadas creditoribus Bromii

[1] Cf. Theophr. Charact. 1.

[2] D S = Sylloge inscript. Graecarum, ed. Dittenberger.

[3] Quamquam in 1754 et 1878 tantum mansionem libertis a dominis impositam esse legimus, tamen etiam ceteros eam, dum eranos exsolverunt, praestare debuisse verisimile est.

[4] Les associations religieuses chez les Grecs p. 145.

Digitized by Google

damnum praestare debebat. Docet igitur hic titulus unam viam qua quis amicis ut eranum sibi conferrent persuaderet eam fuisse ut iis praedem aliquem daret. Alteram invenire mihi videor in 2317, 2 sqq. *ἀπέδοτο Δαμόστρατος . . τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Πυθίῳ σᾶμα γυναικεῖον, ἃ ὄνομα Νίκαρχις, τιμᾶς ἀργυρίου μνᾶν τριῶν, ἂν ἔλαβε ἐκ τοῦ ἐράνου τοῦ Κλευδάμου*[1], *καὶ τὰν τιμὰν ἀπέχει πᾶσαν· καταφειράτω δὲ τὸν ἔρανον Νίκαρχις, ἕως κα τέλος λάβῃ.* Hic difficultatem aliquam grammaticam habent verba *ἂν ἔλαβε ἐκ τοῦ ἐράνου τοῦ Κλευδάμου*, de quibus dubitari potest utrum Nicarchis serva an Damostratus dominus pecuniam acceperit. Sed cum nullum exemplum habeamus omninoque incredibile sit etiam servis eranos colligere licuisse, nullus dubito quin dominus tres illas minas ex erano Cleodami acceperit. Itaque hic res ita se habet. Damostratus, ut eranus trium minarum sibi daretur, Nicarchim servam quasi pignori dedit eamque tanti quantum ipse mutuum sumpserat ita in libertatem vendidit ut non sibi sed creditori suo pretium venditionis paulatim solveret[2].

Proximum est ut de rationibus quibus erani colligi soleant disputemus. Titulis 1804 igitur unus est in quo nihil obstet quominus Bromium, qui eranum accepit, ipsum sibi eum corrogavisse putemus[3]. In ceteris autem nusquam is qui eranum a se acceptum servum pro se solvere iubet ipse eum sibi videtur collegisse[4]. Ad hanc rem explanandam duae quantum

---

[1] Hic igitur *ὁ ἔρανος τοῦ Κλευδάμου* is est quem Cleodamus commodavit, cum supra *ὁ ἔρανος τοῦ Βρομίου* is fuerit quem Bromius mutuatus sit.

[2] Quod confirmat EA *(= Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική)* nov. part. n. 77, ubi aliquis, quo facilius eranum sibi colligat, domos hortosque oppignerat, et Demosth. XXX 4, unde dominos etiam servos nonnunquam aliis pignori dedisse apparet.

[3] Cf. 1804, 3 *κατενεγκάτω δὲ Ἀφροδισία τὸν ἔρανον τὸν Βρομίου, οὗ ἐγγυεύει Ἰατάδας.*

[4] Cf. 1754, 5 *κατενεγκάτω δὲ Ἀριστὼ ἢ Πλειστὸς ὑπὲρ Ἀριστὼ ἐν τὸν ἔρανον τὸν Βακχίου ἐπὶ τὸ Καλλικλέος* (hic dominus est et pecuniam accepit) *ὄνομα τρία ἡμιμναῖα*, 1772, 14 *κατενενκάντω δὲ (Νέων καὶ Σωσώ)*

Digitized by Google

video adhuc sententiae prolatae sunt. Quarum altera, quam Baunackus paucis verbis post tit. 1754 significavit, certe falsa est. In huius enim tituli verbis *κατενεγκάτω δὲ Ἀριστὼ ἢ Πλειστὸς ὑπὲρ Ἀριστὼ ἐν τὸν ἔρανον τὸν Βακχίου ἐπὶ τὸ Καλλικλέος ὄνομα τρία ἡμιμναῖα* verba *τὸν ἔρανον τὸν Βακχίου* ita intellexit ut Bacchius arcam habuisset ex qua eranos sibi sumendi egenis amicis facultas esset. At veterum scriptorum loci quibus erani mentio fit nullo modo indicant arcas eranistarum fuisse ex quibus pecuniae mutuae darentur. Sed mos erat ut, quotienscumque aliquis eranum petivisset, pecunia a compluribus hominibus conferretur[1]. Alteram interpretandi viam iniit Dittenberger, qui, ut ipsius verbis utar, ad tituli 1878 verba *κατενεγκάτω δὲ τὸν ἔρανον Σῶσος, τὸν συνᾶξε Ἀμυνέας Χαριξένου τετταρακονταμναῖον, τὸ ἥμισσον αὐτοῦ ἐπὶ τὸ Καλλιξένου ὄνομα* haec adscripsit: 'Amyneas, Charixeni filius, pecuniam collegerat, cuius partem acceperat Callixenus, Euarchidae filius. Sed is servum ea condicione manumittit ut hic dimidiam partem paulatim persolvat, cum ipse de sua pecunia alteram redditurus sit'[2]. At nihil in verbis quae tradita sunt est, cur Callixenum partem tantum, non totum eranum ab Amynea collectum accepisse credamus. Et etiamsi hoc quidem loco Dittenberger recte iudicavisset, tamen nescio an non credibile sit etiam ceterorum dominorum eranos quos servos

τὸν ἔρανον, τὸν Ἀρχέλαος συνᾶξε ὁ Πραόχου (dominus servorum est Archelaus, filius Thebagorae), 1791, 8 *κατενεγκάτω δὲ Γλαυκίας τὸν ἔρανον, τὸν συνᾶξαν Ἀθαμβος καὶ Εὐαγόρας, . . . ἐπὶ τὸ Ἀμύντα* (domini) *ὄνομα*, 1878 10—11 *κατενεγκάτω δὲ τὸν ἔρανον Σῶσος, τὸν συνᾶξε Ἀμυνέας Χαριξένου, ἐπὶ τὸ Καλλιξένου* (domini) *ὄνομα*, 1909, 7—8 *κατενεγκάτω δὲ (Κῶμος) Φιλοκράτει* (domino) *ἀργυρίου μνᾶς δεκατρεῖς . . . ἐν τὸν ἔρανον τὸν Ἀρχελάου*, 2317, 2—9 *ἀπέδοτο Δαμόστρατος . . . σῶμα γυναικεῖον, ἃ ὄνομα Νίκαρχις, τιμᾶς ἀργυρίου μνᾶν τριῶν, ἂν ἔλαβε ἐκ τοῦ ἐράνου τοῦ Κλευδάμου.*

[1] Rem ita se habuisse ab omnibus fere concessum est. Cf. van Holst l. c. p. 43, Foucart l. c. p. 143, Schoemann, Griech. Staatsaltert. I 384, Ziebarth, Griech. Vereinswesen p. 15. Accedit quod ipsis titulis 1772, 1791, 1878 eranos collectos esse demonstratur.

[2] Cf. DS[1] 462.

Digitized by Google

reddere volunt nihil fuisse nisi partes eranorum quas alii, qui ipsi eos eranos sibi collegissent, de suis iis concessissent. Quod quia vix creditur, aliam interpretationem proferre non dubito. Constat igitur eos qui eranum petituri essent, ut molestiam et fere ignominiam corrogandi evitarent[1], saepe hoc negotium in alios vertisse[2]. Quod negotium qui pro aliis subire solebant *ἐρανάρχαι* aut *ἐρανέμπολοι* dicebantur[3] et posterioribus quidem temporibus victum inde videntur quaeritavisse[4]. Hos igitur homines etiam dominos adiisse et ita factum esse puto ut hi eranos, quos a libertis reddi volunt, nusquam ipsi sibi collegisse videantur.

Alii servi partem, alii totum eranum pro domino persolvere debent. Expresse ut dimidiam pro domino reddat Soso imperatur[5]. Sed etiam eas summas quas servi verbis *κατενεγκάτω δὲ ἐν τὸν ἔρανον* pro dominis pendere iubeantur in 1754 et 1909 partes, non totos eranos fuisse verisimile est. Titulum autem 1791 ex Baunacki interpungendi ratione recte intellegi non puto. Scripsit enim sic: *κατενενκάτω δὲ Γλαυκίας τὸν ἔρανον, τὸν συνᾶξαν Ἀθαμβος καὶ Εὐαγόρας, τὸ ἥμισσον φέρων κατὰ τετράμηνον, στατῆρας πέντε καὶ δέκ' ὀβολούς, ἐπὶ τὸ Ἀμύντα ὄνομα, ἄχρι κα λήξη ὁ ἔρανος*, quasi Glaucias servus totum eranum persolvere deberet idque ita ut per quadrimestrem annum dimidiam, quae esset quinque stateres et decem oboli, daret, dum eranus expleretur. Sed tum eranum expleri adeo ex se intellegitur ut *ἄχρι κα λήξη ὁ ἔρανος* non solum supervacaneum, sed paene ineptum esse videatur. Accedit quod ad similitudinem tituli 1878, 10, ubi item *τὸ ἥμισσον*

---

[1] Cf. van Holst l. c. p. 99, Salmasi De usuris c. 3 p. 63.

[2] Notum est saepe Epaminondam pro egenis apud amicos eranos corrogavisse. Cf. Nep. Ep. 3, 5 sq.

[3] Cf. Artemid. *Ὀνειροκρ.* I 17, Suid. s. v. *ἐρανέμπολος*.

[4] Cf. Ziebarth l. c. p. 16, 1.

[5] Cf. 1878, 10—13 *κατενεγκάτω δὲ τὸν ἔρανον Σῶσος, τὸν συνᾶξε Ἀμυνέας Χαριξένου τετταρακονταμναῖον, τὸ ἥμισσον αὐτοῦ ἐπὶ τὸ Καλλιξένου ὄνομα, ἄχρι κα ἐξενεγχθῆ ὁ ἔρανος.*

Digitized by Google

legitur, etiam hunc locum interpretandum esse verisimile est. Itaque ut illic Sosus (cf. quae de hoc titulo supra diximus) sic hic Glaucias dimidiam tantum erani pro domino exsolvere debet et ita quidem ut quarto quoque mense stateres quinque et decem obolos pendat. Interpungendi igitur rationem hanc esse volo: *κατενενκάτω δὲ Γλαυκίας τὸν ἔρανον τὸν συνᾶξαν Ἄθαμβος καὶ Εὐαγόρας, τὸ ἥμισσον, φέρων κατὰ τετράμηνον στατῆρας πέντε καὶ δέκ' ὀβολοὺς ἐπὶ τὸ Ἀμύντα ὄνομα, ἄχρι κα λήξη ὁ ἔρανος* (scilicet dimidia eius pars, cum alteram ut in 1878 hic quoque dominus ipse redditurus sit).

Quibus accuratius expositis iam ad disputationem de tempore mansionis institutam revertamur. Saepius igitur domini libertis ante tempus quod statutum est a mansione se liberandi potestatem dant. Sic Apollonia, quae apud Theodoram usque ad mortem eius manere debet, statim libera erit, si dominae tres minas dederit[1]. Et etiam partem mansionis pretio redimere Euno cuidam licet. Quot enim annis ante mansionem exactam liber esse vult totiens triginta stateres solvat necesse est[2]. Prorsus aliter Aphrodisiae mansionem finire conceditur. Ei enim servam non plures annos natam quam ipsam emere et domino pro se dare licet[3].

Interdum etiam gratia dominorum liberti, quamquam in iis titulis quibus libertas eorum condicione mansionis coercetur nihil de hac re indicatur, postea hoc onere, antequam tempus praeteriit, liberantur[4].

---

[1] Cf. 2199, 9—13 *παραμεινάτω δὲ Ἀπολλωνία Θευδώρᾳ ἕως κα ζῇ . . . εἰ δὲ θέλοι προαπελθεῖν Ἀπολλωνία, δότω Θευδώρᾳ ἀργυρίου μνᾶς τρεῖς καὶ ἀπολελυμένα ἔστω τᾶς παραμονᾶς.* Et testatur tit. 2200 eam haec praestitisse et liberam esse. Simili modo ii quoque liberti manendi finem facere possunt quibus mansio in 2192 (cf. 2210), 2219 (cf. 2220), 2324 imponitur.

[2] Cf. 1811, 4—5 *εἰ δέ κα μὴ θέλη παραμένειν, καταφερέτω Πράξωνι τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου οὗ κα μὴ παραμένῃ ἀργυρίου στατῆρας τριάκοντα.*

[3] Cf. 1717, 7 et 8 *εἰ δὲ πρότερον θέλοι Ἀφροδισία ἀπολύεσθαι ἀπὸ Καλλιστράτου καὶ Θαυμίου ζωόντων, ἀντιπριάσθω Ἀφροδισία Καλλιστράτῳ καὶ Θαυμίῳ σῶμα γυναικεῖον τὰν αὐτὰν ἁλικίαν ἔχον.*

[4] Cf. 1919 cum 1918 et 2157 cum 2156.

Digitized by Google

Denique per mansionis spatium aliquot libertis non solum dicto dominis oboediendum est sed etiam certa quaedam officia praestanda sunt velut Sosae, qui fullonicam facere debet, et Cinto, qui pro domino symbolas quasdam tribubus dare debet[1].

b) De aliis praeter mansionem libertatis condicionibus.

Ne ii quidem liberti qui manere non debent semper ab omnibus muneribus oneribusque liberi sunt.

Omnino ii liberti quibus liberi non sunt ius testandi non habere videntur, sed domini eorum heredes esse solent. Quo fit ut iis neque aliis aliquid dono dare neque aliquem adoptare liceat[2]. Etiam severiores autem domini se praestant in 1684 et 1891. Hic enim Astoxenus heres Sarapiadis libertae erit, nisi ea post manumissionem liberos pepererit; in illo autem Aristomedes dominus non solum ipsi Callicratiae, si sine liberis sit, sed etiam liberis eius, nisi ipsi quoque liberos genuerint, ius heredem instituendi non concedit.

Ter libertis a dominis imperatur ut alios homines nutriant et curent. Qui in 1708 et 1803 ipsorum libertorum parentes sunt. Dorema autem, quam Thracidas alere debet, eiusdem domini liberta, quae iam ante Thracidam manumissa esset, videtur fuisse[3].

Servi autem qui artis alicuius periti sunt eam etiam post manumissionem pro dominis saepius exercere debent. Sic Damo, qui artis medicinae peritus est, a Dionysio medico ea condicione libertate donatur ut hunc per quinque annos adiuvet; praemio

---

[1] Cf. 1904, 6—10 et 1731, 9.

[2] Cf. 2090, 22—25 *εἰ δὲ ἀνθρωπινόν τι γένοιτο περὶ Ἴλαρον ἀγενῆ οὖσαν, ἃ κα ἐπικτήσηται Ἴλαρον Ἀριστίωνος ἔστω*, et 2202, 24—25 *μὴ ἐξέστω δὲ Ἀπολλωνίῳ μήτε δόσιν τῶν ἰδίων μηθενὶ δόμεν μήτε ὑιοποιήσασσθαι μηθένα, εἴ κα μὴ ἐξ αὐτοῦ γένηται.* Idem fere legimus in 1878 et 2097. Quod autem in 1696, 1718, 1759, 1817, 2141, 2251 iis illa condicione non facta hoc ius negatur, id, quamquam diserte non dicitur, tamen ex se intellegitur ita tantum valere, si iis liberi non sint.

[3] Cf. 1884, 11—15.

Digitized by Google

autem Dionysius ei victum vestitumque et strata dabit[1]. Sosus autem promisit se quem dominus vellet artem suam doctu-rum esse[2].

Etiam dominis mortuis a libertis, praeterquam quod hi saepius illis suprema solvere debent, nonnumquam officia prae-standa sunt. Quotannis enim certis diebus Praxinicis sepul-crum Cleonicae dominae ornare debet[3]. Omnium mensium autem primo et septimo die domino idem praestare iubentur Leaena et Histio[4].

Manumissis qui dominis operas quasdam navare deberent non permissum fuisse ut ex eorum patria discederent et in aliis regionibus considerent et consentaneum est et diserte vetatur in titulis 1801 et 2085[5]. Sed ne iis quidem qui certa quaedam officia praestare non debent semper quocumque volunt abire licet[6]. Nam Ammiae et Asiae in urbibus dominorum pristinorum nescio qua de causa manendum est[7]. Contrarium autem accidit Sotioni, cui ne in patria domini habitet inter-dicitur[8].

---

[1] Cf. 1899, 11 *εἰ δὲ χρείαν ἔχοι Διονύσιος, συνιατρευέτω Δάμων μετ' αὐτοῦ ἔτη πέντε λαμβάνων τὰ ἐν τὰν τροφὰν πάντα καὶ ἐνδιδυσκόμενος καὶ στρώματα λαμβάνων.* Cf. etiam 2183, 11.

[2] Cf. 1878, 17 *καὶ τεχνίταν ἐγδιδαξάτω Σῶσος Καλλιξένω, εἴ κα δώῃ Καλλίξενος τὸ παιδάριον Σώσω.*

[3] Cf. 1775, 20 *στεφανωέτω δὲ τὸ μνᾶμα τὸ Κλευνίκας κατ' ἐνιαυτὸν ταῖς ὡρίοις.*

[4] Cf. 1801, 5 *στεφανωέτω τὰν Φίλωνος εἰκόνα καθ' ἕκαστον μῆνα δὶς δαφνίνω στεφάνω πλεκτῶ νουμηνίᾳ καὶ ἑβδόμᾳ*, et 1807 (= 2085) 20.

[5] Tit. 2085 idem est atque 1807; in hoc autem verba *μὴ ἐξέστω δὲ Ἐστιὼ ἀλλαχᾷ κατοικεῖν ἀλλ' ἢ ἐν Δελφοῖς*, quae in illo leguntur, absunt.

[6] Euporiae quidem libertas plena erit, si dominum in Macedoniam comitata erit. Cf. 2071, 6.

[7] Cf. 1830, 24 *μὴ ἐξέστω δὲ Ἀμμίᾳ ἀλλεῖ οἰκεῖν ἀλλ' ἢ ἐν Δελφοῖς*, 1718, 10 *μὴ οἰκησάτω δὲ Ἀσία ἔξω Λιλαίας.*

[8] Cf. 1774, 5.

Digitized by Google

C. De postscriptis.

I. De praedibus.

Ut libertas manumissorum a periculis insidiisque tuta esset, certi quidam homines constituebantur qui libertos tuerentur atque defenderent et *βεβαιωτῆρες* appellabantur[1]. Eos eligendi ius domini habent[2]; quo fit ut praedes saepe dominorum propinqui sint[3].

Numerus praedum in singulis titulis diversus est[4]; sed etiam ubi plures simul servi manumittuntur plus uno praede non opus est[5]. Neque hoc necesse est ut inter praedes Delphi sint, quamquam ii quidem domini qui aliis in urbibus habitant, si plures praedes constituunt, eos ita eligere solent ut et Delphos et ipsorum populares inter eos habeant[6].

Eorum libertorum praedes qui mansionem praestare debent non statim, sed exacto demum mansionis spatio suo munere fungi solent. At unus est titulus in quo contrarium acciderit. Legimus enim in 1694, 7 *ἐπεὶ δέ κα μεταλλάξῃ τὸν βίον Βόηθος* (apud hunc Thrassa manere debet), *ἐλευθέρα ἔστω*

---

[1] In uno 1703 legimus *βεβαιωτῆρες καὶ προστάται*. Apud Locros autem praedes etiam *προαποδόται* dicebantur (cf. 1842, 1990, 2028, 2116).

[2] Cf. 1785, 11 *βεβαιωτὴρ κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος Ἐκέφυλος Ἀγίωνος κελεύοντος Ξένωνος τοῦ Πειθαγόρου* (domini) et 1901, 2 *βεβαιωτὴρ κατὰ τὸ σύμβολον Εὐάγγελος Πάτρωνος Δελφὸς κελεύσαντος Δαμοφίλου*.

[3] Cf. velut 1710, 1754, 1778, 1780, 1788, 1815, 1838. Et etiam eos qui venditioni faciendae consenserunt domini saepius praedes eligunt, velut in 1684, 1739, 1884, 2161.

[4] Tituli in quibus praedes non nominantur pauci sunt; inveniuntur autem hi: 1750, 2071, 2097, 2101, 2200, neque sine causa hic absunt. Nam tituli 1750 et 2200 nihil nisi supplementa titulorum 1749 et 2199 sunt, in quibus praedes iam significati erant; ceteri autem non venditionum sed dedicationum consecrationumque syngraphae sunt, et dominus qui gratis servum aliquem libertate donabat praedem dare non debebat.

[5] Cf. 1689, 1693, 1707.

[6] Sic in 1684, 1720, 1727, 1728, 1729, 1730, 1734.

Digitized by Google

Θρᾷσσα καὶ ὁ βεβαιωτὴρ μηκέτι βεβαιούτω. Tamen non est cur hoc offendamur. Neque enim Thrassa a domino Apollini sed Boetho veniit neque dubium est quin Boethus, qui servam illam in clientelam Apollinis commendare iussus est in titulo quo se ita fecisse testaretur alium significaverit qui ipso mortuo libertatem Thrassae defenderet[1].

Praedes qui officii sui immemores fuerunt poenis afficiuntur. Quae legibus constitutae videntur fuisse. Nam non solum praedes esse secundum leges dicuntur[2], sed etiam, si officium suum neglexerint, poenas daturi esse secundum leges[3]. Quas leges Delphorum fuisse et ipsum apparet et saepius dicitur[4]. Alibi autem legimus praedes esse *κατὰ τὸ σύμβολον καὶ κατὰ τὸν νόμον* aut simpliciter *κατὰ τὸ σύμβολον* (*τὰν συμβολάν*)[5]. In omnibus his titulis domini servorum non Delphi, sed peregrini sunt. Quid autem sibi velit hoc *κατὰ τὸ σύμβολον* cognoscitur ex 2181. Hic enim scriptum est *βεβαιωτῆρες κατὰ τὸ σύμβολον τὸ ποτὶ Ἀμφισεῖς*. Inde apparet inter Delphos et alias civitates leges quasdam quae ad praedes pertinerent convenisse. Utrum autem aliquis praes sit *κατὰ τὸ σύμβολον* an *κατὰ τὸν νόμον* nihil interest; nam non solum in iis titulis qui iisdem temporibus scripti sunt et in quibus earundem urbium cives praedes sunt hi modo praedes esse *κατὰ τὸν νόμον*, modo *κατὰ τὸν σύμβολον* dicuntur, sed etiam in iisdem aliquot titulis alio quidem loco legimus aliquem praedem

---

[1] Cf. etiam 2036, 13 sq. *εἰ δέ τίς κα ἅπτηται Ἐπιμέλεος ἐπὶ καταδουλισμῷ τελευτάσαντος Ἀγήσωνος ἢ καὶ πρότερον, βέβαιον παρεχόντων τὰν ὠνὰν ὅ τε ἀποδόμενος Εὔνικος καὶ οἱ βεβαιωτῆρες Ἀγήσων . .*, ubi is ipse apud quem Epimeles manere debet praes est.

[2] Sic in 1685, 1686, 1687, 1688, 1689, 1700.

[3] Cf 1686, 10 *εἰ δὲ μὴ παρέχοιεν βέβαιον τῷ θεῷ τὰν ὠνάν, πράκτιμοι ἐόντων κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος*, 1703, 1708, 1710, 1711, 1712, multi et 1720, 8 *εἰ δὲ μὴ παρέχοιεν, ὑπόδικοι ἔστωσαν κατὰ τοὺς νόμους*.

[4] Cf. 1730, 8, 1731, 6, 1863, 5, 1921, 8, 2175, 14.

[5] Hoc in 1684, 1715, 1718, 1726, 1872, 1877, illud in 1730, 1745, 1770, 1795, 1813, 1853, aliis.

Digitized by Google

esse *κατὰ τὸν νόμον*, alio eum rationem redditurum esse *κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ τὸ σύμβολον*[1]. Itaque pacto quod Delphi cum aliis civitatibus fecissent convenisse apparet ut ab omnibus praedibus, sive Delphi sive peregrini essent, ratio reposceretur ex legibus Delphicis.

Sed cum de praedibus qui libertatem manumissorum non defendissent puniendis leges videantur fuisse, tamen quanta pecunia hi multarentur iis statutum fuisse non verisimile est. Nam multae quae in titulis commemorantur valde inter se discrepant. In titulis primi quidem et secundi sacerdotum collegii, quorum quinque tantum huc pertinent, multa ubique tanta est quantum pretium quod servus dederat et sesquialterum[2]. Tituli autem ceterorum collegiorum maximeque noni collegii[3] alii alias poenas habent[4]. Quae cum ita sint, multam non lege statutam esse, sed inter ipsum dominum praedemque convenisse existimandum est. Quod comprobatur iis titulis in quibus legimus praedibus rationem reddendam esse *κατὰ τὸν νόμον καὶ τὰν ὁμολογίαν*[5]. *Ὁμολογίαν* enim, quae mea quidem sententia pactum est inter dominum et praedem de multa factum, quam hic pensurus sit, non idem valere atque *τὸ σύμβολον* vel ex eo apparet quod qui in his titulis servos liberant non peregrini, sed Delphi sunt. Itaque multas a dominis quidem

---

[1] Cf. 1712, 11 *βεβαιωτῆρες κατὰ τὸν νόμον* et v. 17 *πράκτιμοι ἐόντων κατὰ τὸν νόμον τῶν Δελφῶν καὶ κατὰ τὸ σύμβολον τῶν Φωκέων*. Idem fere in 1718, 7 et 10.

[2] Cf. 2006, 7—9 *εἰ δέ κα μὴ παρέχωντι, πράκτιμοι ἐόντων . . . αὐτοῦ* (pretii) *καὶ τοῦ ἡμιολίου*, 2012, 7, 2049, 12, 2072, 10, 2080, 10.

[3] Si huius collegii titulos in quibus multae indicantur accuratius recensemus, in 1697, 1698, 2310, cum pretium quinque minae fuerit, multa est triginta minae; duplo autem poena est maior pretio in 2198 et 2216, et septilum fere pretii Athanion dabit, qui praes occurrit in 2287.

[4] Statuuntur autem multae in 1694, 1697, 1698, 1708, 2006, 2012, 2049, 2072, 2080, 2197, 2198, 2216, 2287, 2310.

[5] Haec verba in paucis tantum antiquioribus titulis leguntur velut in 1975, 1979, 2041, 2049, 2126.

Digitized by Google

ac praedibus statutas, earum autem exactionem ex legibus factam esse puto.

Pecuniam autem, qua praedes multabantur, libertos, quoniam hi neglegentia illorum laesi erant, accepisse supervacaneum est dicere. Sed cum his, quia cives non erant, civem aliquem accusandi et rationem ab eo reposcendi ius non esset, alii nonnumquam significantur, qui libertorum causam agentes pecuniam a praede postulaturi sint [1].

Praeter eos qui diserte praedes dicuntur etiam ipsi domini libertis patrocinari debebant [2], neque eorum heredes [3] aut ii qui venditioni faciendae assensi erant hoc officio liberi erant [4].

Si autem ii quos lex iubebat libertos defendere atque tueri officio deerant, ipsis libertis se defendere licebat [5]. Sed et antiquioribus temporibus raro et post sextum collegium sacerdotum omnino non iam dicitur iis hoc ius esse. Quod bene factum est. Quid enim commodi ex hoc iure percipere poterant, cum in ius aliquem vocandi iis non liceret? Itaque multo gravius est quod quicumque volebant iis pro deo libertisque intervenire licebat [6]. Quod quo promptiores susciperent, iis semper

---

[1] Cf. 2198, 13 et 2310, 14.

[2] Cf. 1685, 7, 1686, 10, 1692, 11, 1695, 9.

[3] Cf. 2126, 15 *βέβαιον δὲ παρεχόντων τῷ Ἀπόλλωνι τὰν ὠνάν, εἴ τίς κα ἐφάπτηται αὐτᾶν, οἱ βεβαιωτῆρες . . . καὶ ὁ ἐπίνομος τῶν Μίκκωνος* (domini). Cf. etiam 1979, 13 sq. et 2216, 12.

[4] Hi ita plerumque libertos tueri iubentur ut in ipsis venditoribus numerentur, velut in 1686, 9 *εἰ δέ τις ἐφάπτοιτο Κασταλίας ἐπὶ καταδουλισσμῷ, βέβαιον παρεχόντων τῷ θεῷ τὰν ὠνὰν οἵ τε ἀποδόμενοι* (vendiderat autem una Polya, cui liberi consenserant) *καὶ ὁ βεβαιωτὴρ Ἀστόξενος*. Sic etiam in 1699, 1712, 1732, aliis. Quamquam non semper expresse iis hoc mandatum est, velut in 1697, 1708, 1735, 1745, 1778.

[5] Cf. 1701, 8 *εἰ δέ τις καταδουλίζοιτο Δορκίδα, κυρία ἔστω αὐσωτὰν συλέουσα*. Idem saepe legitur, velut in 1713, 1723, 1727, 1729.

[6] Cf. 1685, 8 *ὁμοίως δὲ καὶ οἱ παρατυγχάνοντες κύριοι ἐόντων συλέοντες Ἁρμοδίκαν ὡς ἐλευθέραν ἐοῦσαν ἀζάμιοι ὄντες καὶ ἀνυπόδικοι πάσας δίκας καὶ ζαμίας*. Idem fere legimus in plerisque titulis. Illis autem qui manumissos ex legibus tueri debent hi homines in 1699, 14 et 2202, 18

Digitized by Google

fere, si ita fecissent, impunitas promissa est. Sed scripto non opus erat, id quod in 1759 et 1787 et 1909 legimus, idem ius atque ceteris etiam sacerdotibus archontibusque esse.

II. De testibus.

Inter testes manumissionis et magistratus sunt et homines privati.

Inter magistratus qui testantur primo plerumque loco sacerdotes Apollinis nominantur. Erant autem duo et fungebantur sacerdotio usque ad mortem. Qui cum pretia venditionis a servis accepta dominis tradere solerent, eos semper venditionibus interesse necesse erat[1].

In plerisque titulis inter testes etiam archontes sunt, idque saepius quam in antiquioribus et recentioribus in iis qui in tempora collegiorum sacerdotum IV—VI incidunt[2]. Numerus horum testium diversus est; modo unum, modo duos, modo tres in titulis invenimus, quattuor autem in duobus tantum,

---

opponuntur, cum *ἰδιῶται* dicuntur. Et iis hoc ius esse *κατὰ τὰν ἀναγραφὰν καὶ ὠνὰν τὰν ἐν τῷ ἱερῷ ἀναγεγραμμέναν* legimus in 1743, 10, 1762, 4, 1763, 4, 1764, 10, 1815, 10, qui tituli omnes quarti collegii sunt.

[1] Tamen non ubique inter testes occurrunt; absunt in 1688, 1694 (hic quidem serva non Apollini veniit), 1718, 1721, 1753, 1760, 1842, 1844. Aliis autem in titulis, velut in 1684, 1704, 1705, 1708, 1716, 1717, 1722 unus testatur; sed quantopere ambos nominare domini soliti sint vel inde intellegitur quod interdum numerus pluralis, *οἱ ἱερεῖς*, praecedit ubi unius sacerdotis nomen sequitur, velut in 1708 et 1862. In 2236 autem sacerdotes testes quidem sunt, sed nomina eorum non indicantur. Et contrarium quoque accidisse, ut nomina eorum afferrentur, ii autem sacerdotes non dicerentur, cognoscimus ex 2016, qui secundi collegii est. Hic enim legimus *μάρτυρες Ξένων. Ἄθαμβος, Ἀριστόμαχος, Πεισίστρατος*, quorum primi duo tum sacerdotes erant (cf. 1980, 1982, 1984, 1985, 1986, 1988).

[2] Iis quoque idem quod sacerdotibus saepius accidit, ut testes quidem sint, nomina autem eorum absint, aut ut nomina quidem legantur, sed ita ut archontum esse non dicantur (hoc in 2018, 2024, 2052, 2168, 2170 et illud in 2166 et 2269).

Digitized by Google

2167 et 2255, plures nusquam. Nam ii tantum testari archontesque dici solent[1] qui, cum manumissio fiebat, senatores erant[2], et plus quattuor senatores nulli manumissioni praescriptos esse iam ostendimus[3]. Itaque etiam ubi unus aut duo archontes in testium numero nominantur saepe *τῶν ἀρχόντων* praecedit, in iis autem qui tres afferunt (tot enim senatores plerumque erant) nusquam *τῶν ἀρχόντων*, sed semper fere *οἱ ἄρχοντες* legitur[4].

Raro in testibus antistites templi sunt. Munus autem eorum amplissimum honestissimumque erat, cum praeter sacerdotes nemo iis praeponi soleat. Quot fuerint ex titulis non cognoscitur; unus enim testatur in 1733, 1920, 2076, 2265, 2294 A, duo in 1950, 1996, 2049, 2072, 2117, 2241, tres in uno 2145[5].

---

[1] Hi raro inter testes senatores dicuntur, velut in 1707, 1930, 1996, 2044, 2068, 2133, 2148, 2167.

[2] Excipiuntur duo tantum tituli, quorum unus est 1697. Hic Cleo et Azaratus et Tarantinus archontes dicuntur et testes sunt, cum senatores antea appellentur Nicaratus et Anaxandridas et Callicon. In 2216 autem, qui titulus altero eiusdem anni semestri scriptus est, Callicon archon in testibus est, quamquam, id quod ex 1697 apparet, non hoc, sed insequenti demum anno semestri senator fuit. Causam autem cur hac in re hi tituli a ceteris discrepent non invenio, sed miror quod eiusdem anni sunt.

[3] Quattuor senatores iis antum manumissionibus praescribuntur quibus sacerdotes ¦collegiorum' XIV—XV intersunt; et sunt horum collegiorum tituli illi 2167 et 2255, in quibus quattuor archontes testes manumissionis sunt.

[4] Gilbertus (cf. l. c. II. p. 36, 5) dicit in titulis archontes testari ab uno usque ad duodecim. Sed id falsum est et inde hic error ortus est quod archontes non ubique a ceteris testibus diserte discernuntur.

[5] Sunt autem testes in 1733, 1920, 1950, 1996, 2049, 2072, 2076, 2117, 2145, 2265, 2294 A. Antiquissimis autem temporibus eos fere semper testes fuisse ex eo verisimile est quod tituli primi collegii praeter unum 2116 omnes eorum ut testium mentionem faciunt. Eos autem templi antistites fuisse docet 1733, 10, ubi *προστάται τοῦ ἱεροῦ* dicuntur.

Digitized by Google

Multo saepius inter testes aeditui obviam fiunt. Plus unus nusquam commemoratur, qui per vitae tempus munere videtur functus esse[1].

Praeter magistratus privati quoque homines, qui plerumque *ἰδιῶται*, in 2323 *πολῖται* dicti ab illis disiunguntur, testabantur. Venditurі eos eligebant, quot et quos volebant. Qui peregrini, ut servos manumitterent, Delphos venerant id intendere solebant ut et ipsorum populares et Delphos inter testes haberent[2]. Etiam archon *ἐπώνυμος*, qui nomine magistratus nusquam testatur, inter privatos testes saepius invenitur[3]. Iis autem qui praedes erant simul testes esse licuisse satis habeo commemoravisse.

III. De aliis postscriptis.

Multis in titulis ii significantur apud quos syngraphae venditionum depositae sunt[4]. Praeter ceteros aedituorum erat

---

[1] Antiquissimus omnium Cleon est, qui nisi in titulis primi collegii (x—198) non testis est (cf. 2072, 2116, 2117). Ei successit Callicles (cf. 1986), quo non post annum 181 a. Chr. n. mortuo Callicon aeditui munere functus est. Nam etiamsi Callicon testis in 2047, qui titulus anno 181 scriptus est, *νεωκόρος* non appellatur, tamen haud dubie idem Callicon est (nam apud eum syngrapha venditionis deponitur) qui in 2236 (anno 177 a. Chr. n.) *νεωκόρος* vocatur. Anno autem 174 (cf. n. 1843) iam Callierus aedituus est. In eius locum successit Menes, priusquam quintum sacerdotum collegium munus iniit (cf. 1733, 1819, 1884). Hunc etiam octavi collegii sacerdotibus aequalem fuisse ostendunt 2153 et 2154. Eo autem ineunte nono collegio mortuo proximus ultimusque quem novimus aedituus Atisidas est, qui saepe in titulis noni collegii (velut in 1692, 1693, 1697, 2315) obviam fit, cuius aetas autem etiam in decimi collegii tempora incidit (cf. 2314).

[2] Sic in 1700, 1715, 1718, 1746, 1747, 1755, 1756.

[3] Cf. 1756, 1826, 1911, 2022, 2051, 2080, 2091, 2157, 2255.

[4] Velut in 1698, 1705, 1715, 1718, 1719, 1749, 1760, 1761, 1764, 1819, in aliis duobus et triginta.

Digitized by Google

syngraphas custodire[1], sed etiam sacerdotibus interdum et archontibus exemplaria tradebantur[2]. Pluribus hominibus et Delphis et ipsorum popularibus syngraphas dare peregrini solebant[3]; quo apparet quantum curaverint ut libertas manumissorum non solum Delphis, sed etiam in dominorum civitatibus comprobaretur et firmaretur[4].

Exemplaria venditionis in tabulis publicis deposita esse testantur duo recentiores tituli. In altero eorum, qui est 2156, legimus *τὸ ἀντίγραφον ἐτέθη τᾶς ὠνᾶς ἐν τὰ δαμόσια γράμματα*. In 2322 autem ipsa liberta se et venditionem factam, quam omnes conspicerent, in templo Apollinis incidisse et alterum exemplar scribam in tabulario deponere iussisse profitetur.

Paucis antiquissimis titulis etiam quo templi loco venditio facta sit dicitur[5]. Eorum novissimus, qui est tit. 1953, iam anno 185 a. Chr. n. scriptus est.

Dignissimus qui memoretur antiquissimus titulus 2072 est. In hoc enim legimus servos stantes prope altaria praesentibus sacerdotibus testibusque iure iurando promisisse se apud dominum manentes ei dicto oboedientes futuros esse, et dominum se neque ipsum libertos iniuria affecturum et quominus ab aliis id fieret impediturum esse.

---

[1] Sic in 1698, 1705, 1749, 1760, 1761, 1764, 1819, 1832, 1843, 1956, 1986, 2028, 2047, 2116, 2202, 2236, 2275. Qua de causa autem hi ad hoc munus praestandum maxime idonei visi sint cognoscimus ex 2116, 15 *ἃ ὠνὰ κεῖται ἔν τε τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος παρὰ Κλέωνα τὸν ναοκόρον*.

[2] Cf. 2068, 2074, 2101, 2143, 2264 et 1863, 2080, 2323.

[3] Cf. 2047, 2074, 2068.

[4] Quod ad verba attinet in antiquioribus his titulis, qui omnium horum tres fere partes sunt, plerumque legimus *ἃ ὠνὰ παρὰ τὸν δεῖνα* (cf. 1842, 1863, 1983, 1984, 1986, 2004, 2044, 2047, 2053, 2068, 2074, 2080, 2084, 2124, 2133, 2236), in ceteris plerumque *τὰν ὠνὰν (γραφάν, τὸ ὁμόλογον, ἀντίγραφον, πυξίδιον) φυλάσσει ὁ δεῖνα* (cf. 1908, 1931, 1954, 1956, 2143, 2146, 2202, 2208, 2279, 2287, 2323).

[5] Cf. 2010, 13 *ταῦτα δὲ ἐγένετο ἀνάμεσον τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ βωμοῦ*. Idem fere legitur in 1953, 2011, 2041, 2049, 2072, 2079.

Digitized by Google

Ex titulo denique 2146 utrumque eorum qui vendiderunt sua ipsius manu servum liberum esse in syngrapha inscripsisse comperimus.

Digitized by Google

Vita.

Natus sum Iulius Francke Monasterii pridie Kal. Iun. anni MDCCCLXXXI patre Eduardo, matre Philippina e gente Hölker et fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus inferiorum trium gymnasii classium discipulus fui Essenae, quo pater migraverat. Eo mortuo, postquam cum matre in patriam urbem redii, hic gymnasium inde ab anno MDCCCXCIV frequentavi. Vere anni MDCCCC cum maturitatis testimonio instructus essem, academiae Monasteriensi adscriptus sum ibique philologicis, archaeologicis, germanicis studiis operam dedi.

Docuerunt me per octo semestria viri doctissimi:

Hosius, Iostes, Kappes, Koepp, Meister, Schwering, Sonnenburg, Spannagel, Spicker, Stahl, Storck, Streitberg. Seminarii philologici, quod moderantur Stahl, Sonnenburg, Hosius, per duo semestria sodalis extraordinarius fui, per tres sodalis ordinarius.

Omnibus his doctis viris, maxime autem Stahlio, qui et consilio et auxilio optime de me meritus est, gratiam quam maximam semper habebo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JAN 29 '66 H
CANCELLED

Digitized by Google


Digitized by Google